

REGVM GEMMAE

Sacris Biblijs de-
sumpta per Ludoui-
cum Lloid ad Arma
Inseruientem.

39

Tanner
389



Δῶλοι ἀχρεῖοι ἐσμεν.


LONDINI,
Apud Iohannem
Windet.

Thom. Tanner


MAKE IN A CLEANE HART O GOD AND RENVE A RIGHT SPIRITE WITHIN ME PS. 51



Illuſtriſsimæ Elizabethæ Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ, Reginæ, &c.



VM virtutem tuam ſingularem (ſereniſſima Regina) & maiorem quam ſive in fœmina conſpicitur animo luſtrarem, cœpi tacitus cogitare quid dignũ tanta Principe, quid dignum meo officio præſtare poſſim. Et cum nihil par magnitudini animi tui inferius inuenerim, altius mente euectus, nõ ſine numinis nutu in gemmam unam quam Reges & Prophetæ Iuda in ſinu ſemper portarunt incidi, hanc prece non pracio emptam Regio tuo nomini conſecrare velim. Oſtentent Perſarum Gazas iactent Philoſophorum lapidem, admirentur Curtinam Phœbi qui velint, tu cui præter virtutẽ cætera ſordent, quæ, gloria imperij cum regijs tui populi curis omnes hodie principes antecellis, hanc Regũ gemmam amplectere: Fingant alij ſimulachrũ Ioui, alij Coloſſũ Phœ-

 bo

bo faciãt, Miretur Græcia Harpen Mercurij, Colat Roma Lituum Romuli, tu manu & mente cum Moyse in coelum ad lassitudinem vsque eleueris; quam enim salutaris fructus precum sit nemo fere princeps vsu magis quam tute vnquam expertus est. Nam tot insidijs petitam, toties scelerosorum vaferrimis machinis periclitantem non concilia prudentum, sed piorum præces eripuerunt, quæ quam parata sunt, Arator ad stiuam, Textor ad flamen, fossor ad glebã, vxor ad colũ testabuntur. Ego animum meum optima quæque tuæ maiestati optantem hoc meo præcationum libellulo palam facere conatus sum, qui nulla ratione melius, quam precibus quicquam tanta principe dignũ & tam bene merita de me Domina efficere potui. Deus celsitudinẽ tuã tueatur, vt hac te Respublica, vt hoc regnũ, vt hic populus tuus longissima vita cum summa fœlicitate fruatur.

Regiæ tuæ Maiestatis
addictissimus seruus,

Ludouicus Lloid.


Domine Deus pater & redéptor animæ meæ & dominator vitæ meæ mitte spiritum tuum de cœlis sanctis tuis & a sede magnitudinis tuæ qui intellectũ meũ illuminet, cor meũ purificet & effectũ meũ inflamet, vt cognoscam te Dominũ Deum meũ in omnibus & super omnia. Accende me igne amoris tui, & mitte manũ pietatis tuæ in me vt oratio mea sit incensum coram te Domine Deus, & eleuatio manuum mearum sacrificium in cõspectu tuo, Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus, Lætetur cor meũ vt timeat nomen tuum Domine, & confige quæso timore tuo carnem meã, nam corã te sanitas & infirmitas mea est. Ne ponas vultũ tuum Domine aduersũ me, nec ineas iudiciũ cum serua tua. Manus tuæ Domine fecerunt me, opus manuum tuarum ne despicias. Nam tu Deus meus petra mea & robur meũ, tu Domine saluator meus, scutum meũ, & cornu salutis meæ. O Domine Deus inclina aurem tuam, & audi præces ancillæ tuæ, aperi oculos tuos & vide gemitum meum,

Sap. 9.

Psa. 140.

Ier. 17.

2. Reg. 22.

tu Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu creator mundi, ſaluatór & redemptor hominis, ſalua me de manu impiorum. Excita furorem, & effunde iram, tolle aduerſarium, & contere inimicum, vt cognoſcant omnia regna terræ quia tu es Deus ſolus, & non eſt Deus præter te
*Eſai.*37. Domine. Miſerere populi tui Domine, miſerere Ieruſalem loci quietis tuæ, re-
*Eccle.*36. ple Sion, extolle oracula tua & a gloria tua populum tuum Domine. Adiuua me famulam tuam Domine, & propitius eſto mihi ancillæ tuæ propter nomen ſan-
2.*Reg.*7. ctum tuum. Benedicas mihi Domine Deus & cuſtodias me, oſtendas faciem tuam mihi & miſerere mei, conuerte vultum tuum ad me, & da mihi Domine pacẽ tuã. Flecto igitur genua ad te Dominũ Deũ meum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ex quo omnis paternitas in
*Paul.*3. *Ephes.* cœlis & in terra nominatur, vt des mihi ſecundum diuitias gloriæ tuæ virtutem corroborari per ſpiritũ tuum in interiore homine: Chriſtum habitare per fidem in corde meo, in charitate radicata, & fundata, vt poſſim comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum, vt impleat in omnem plenitudinem Dei qui

potens

potens est omnia facere. Tibi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes seculi. Amen.

Oratio Esther Reginæ pro liberatione populi sui.

DOmine mi qui Rex es solus, adiuua me solitariã, & cuius præter te nullus est auxiliator alius, periculum meum in manibus tuis est. O Domine Deus audiui a patre meo, quod tu Deus noster tulisses Israel de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retro maioribus suis, vt possideres hæreditatem sempiternam, & fecisti eis sicut loquutus es. Peccauimus in conspectu tuo Domine, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum, coluimus enim Deos eorum: iustus es Domine. Et nunc Domine Deus non sufficit ei, quod durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuũ suarum, idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa Domine Deus, & delere hæreditatem tuam, volunt claudere ora laudantium te, atq; extinguere gloriam templi & altaris tui Deus noster, vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem

Esther. 14.

lem regem in ſempiternum. Ne tradas Domine Deus ſceptrum tuum his, qui tui non ſunt, ne rideant ad ruinam noſtram; ſed conuerte concilium eorum ſuper eos, & eum qui in nos cœpit ſæuire, diſperde ô Deus noſter, memento Domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ, & da fiduciã mihi ancillæ tuæ Domine Rex Deorum, & vniuerſæ poteſtatis, tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, vt & ipſe pereat, & cæteri qui ei conſentiunt. Nos autem libera in manu tua Domine, & adiuua me famulam tuam, nullum aliud auxilium habentem niſi te Domine Deus qui habes omnium ſcientiam, & noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſtor cubile incircunciſorum, & omnis alienigenæ. Tu Deus meus ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij, & quod non comederim in menſa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum: & nunquam lætata ſit ancilla

cilla tua Domine, ex quo huc translata vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham. O Domine, Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me famulam tuam Domine a timore meo.

Oratio Iudeth cilicio induta, & cinere consperse ad Deum contra Holofernem.

O Domine Deus patris mei qui
dedisti illi gladium in defensio- Iud. 9.
nem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem, & dedisti mulieres eorum in prædam & filias illorũ in captiuitatem: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis qui zelauerunt zelum tuum, subueni quæso te Domine Deus mihi viduæ. Tu Deus fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse voluisti: omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti. Respice Domine castra Assiriorum nunc sicut tunc castra Ægiptiorum videre dignatus es, quando post

seruos tuos armati currebãt confidentes in quadrigis,&in equitatu suo,& in multitudine bellatorum. Sed tu Deus aspexisti super Castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos, tenuit pedes eorum abissus, & aquæ operuerunt eos, sic fiant & isti Domine qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis,& in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur: & nesciũt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio,& Dominus nomen est tibi. Erige brachiũ tuum o Deus noster,sicut ab initio & allide virtutem illorum in virtute tua, cadat virtus eorũ in iracundia tua qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deijcere gladio suo cornu altaris tui. Fac Domine Deus, vt gladio proprio eius superbia amputetur, capiatur laqueo oculorum suorum in me,& percuties eum ex labijs charitatis meæ. Da Deus meus mihi in animo constantiam, vt contemnam illum, redde mihi virtutem vt euertam illum, erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua,nec superbi ab initio placuerunt

runt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ exaudi me miseram ancillam tuam deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. Memento Domine testamenti tui, & da verbum tuum in ore meo, & in corde meo concilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione tua permaneat: & omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus & non est alius præter te Dominus. Et nunc confirma me Domine Deus Israel, & respice in
hac hora ad opera manuum mearum, 33
vt hoc, quod credens per te posse fieri cogitaui perficiam, confirma me obsecro in hac hora. Amen.

Oratio Susannæ cum ad supplicium duceretur.

AEterne Deus, qui absconditorũ es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis Domine Deus quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, Cum nihil horũ fecerim quæ isti maliciose composuerunt aduersum me. Sed melior est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini Dei mei. *Daniel. 13.*

Ἀντὶ πλείστων καὶ ἀνεκφράστων εὐεργεσιῶν σου, δέσποτα, μὴ οὐκ ἔχων ἄλλο σημεῖον θεραπείας δηλοῦν σῇ εὐεργέτῃ μου, τῆς νῦν παρούσης πραγματείας· τί γὰρ ἂν πλείω χαρίσαιμι τῆς σῆς φιλοσοφίας, εἰ μὴ μόνον προσέτυχες· τί θεράπων βασιλέως παντὸς

ἰλιάδ. α. ἐξοχώτατος; εἰμὶ γ' οἱ κήρυκες παρὰ τῷ Ὁμήρῳ διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν· ἀλλ' οὐκ ἀγαμέμνονος ἢ ἀχιλλέως· ἀφ' ἑαυτῶν τις θεράπων βεβληδίασμαι σοι φέρω δῶρον παλαιῶν μνημοσυνῶν αὐτὸς ἢ περὶ τῆς σῆς μεγαλειότητος καὶ νῦν καὶ εἰς ὕστερον εὐδόκωσιν παύσομαι τὸ θεῖον ποτνιώμενος·

ὁ τῆς σῆς μεγαλειότητος, κηρὺξ
καὶ πειθήνιος ὑπηρέτης,

Λουδόβικος Λοῦδος·



Oratio prima ex Psalmis.



Vdica me Deus & discerne causam meam, de gente non sancta, a viro peruerso & doloso libera me. *Psa.43.*

Suscipe causam meam post longam iram tuam domine, esto mihi misericors, ne inimici mei de me glorientur.

Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersum eum.

Reuertere Domine & eripe animam meam de manibus inimicorum, saluum me fac propter magnam misericordiam tuam.

Perfice gressus meos in semitis tuis Domine, facq; odio me habere omnes vias iniquitatis.

Cor peruersum discedat a te Domine, *Psa.101.*
& qui elatis est oculis hunc non feres.

Tu Domine Deus perdes omnes impios in terra, & omnes qui operātur iniquitatem destrues.

Domine Deus eripe animam meam a labijs mendacij, & a lingua dolosa libera me.

Redime me a calumnijs hominum, & de potestate tenebrarum salua me.

Alieni quotidie me oppugnant, & animam meam quærunt vt perdant eam.

Deus adiuua me, Domine ab insurgentibus libera me.

Ab infestatione me persequentium, ab hostili cursu qui me vndiq; obcingunt libera me.

Confundantur & deficiant qui animæ meæ aduersantur, operiatur opprobrio & confusione, qui malum mihi quærunt.

Psa. 94. Per te infestabo hostes meos domine, atq; in nomine tuo conculcabo eos, qui contra me insurgunt.

Domine Deus tu me de aduersarijs meis saluabis, & confundes eos qui odio me habent.

Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.

Psa. 5. Sepulchrum patens est guttur eorum, iudica illos Deus, & decidant a cogitationibus suis.

Secun-

Secundum multitudinem impietatum eorum, expelle eos quoniã irritauerunt te Domine.

Arcum suum tetendit, & parauit illũ: & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Psa.7.

Persequitur inimicus animam meam, vt comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.

In te Domine Deus speraui, saluum me fac ex omnibus me persequentibus & libera me.

Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Psa.3.

Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, & tu habitabis in eis. Psa.5.

Deus iudicia tua regi da, & iustitiam tuam filio regis. Psa.72.

Et iudicabit populum tuum in iustitia & pauperes tuos in iudicio.

Sed effunde furorem tuum in gentem quæ te non cognouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Psa.79.

Nam deuorauerunt Iacob, & habitationem eius in desolationem redegerũt.


O Domine Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, inquinauerunt templum sanctum tuum, & posuerunt Ierusalem in aceruos ruinarum.

Dederunt cadauera seruorum tuorum in cibum auibus cœli, & carnes piorum bestijs terræ.

Effuderunt sanguinem eorum veluti aquam, nec erat qui sepeliret eos.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & derisio ijs qui te odio habent.

Oratio 2. ex Psalmis.



O Deus meus ne contineas, non taceas, neq; quiescas.

Nam dicunt gentes inter se, vbi est Deus illorũ.

Ecce Domine inimici tui fremunt, & qui te odio habent extulerunt caput.

Psa93. Contra populum tuum Domine calidum excogitarunt concilium, & consultarunt contra absconditos tuos.

Dixerunt venite, & deleamus eos ne sint gens, & non sit in memoria nomen Israel vltra.

Nihil

Nihil norunt, nihil intelligunt in tenebris ambulant, mouentur omnia fundamenta terræ.

Deus meus pone eos sicut rotam & stipulam ante ventum.

Sicut ignem qui comburit siluam, & sicut flammam, quæ succendit montes.

Sic persequeris eos in tempestate tua Domine, & in turbine tuo terrebis eos.

Imple facies eorum ignominia, & inquirent nomen tuum Domine.

Confundantur & perturbentur imperpetuum: ignominia afficiantur & pereant.

Vt cognoscant quod tu cuius nomen est Iehoua, solus es altissimus super omnem terram.

Non est similis tui Domine in dijs, neque est secundum opera tua. Psa. 86.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam tu redemisti. Psa. 71.

Lingua mea per singulos dies loquetur de iustitia tua, quoniam confusi sunt & probris affecti, qui malum meum quærunt.

Deus vltionum Domine, Deus vltionum fac te conspicuum. Psa. 94.

Exaltare ô Iudex terræ, redde retributionem superbis.

Quousque impij Domine Deus, quousque impij exultabunt.

Pronuntiant & loquuntur, quod durũ est auditu, iactant se omnes qui operantur iniquitatem.

Populum tuum Domine, opprimunt: & hæreditatem tuam affligunt.

Viduam & peregrinum occidunt, atque pupillos tuos interrimunt.

Et dixerunt, non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.

Dominus cognoscit, quod cogitationes hominum vanæ sunt.

Ipse rependet eis iniquitatem eorum, & in malitia eorum perdet eos: perdet eos Dominus Deus noster.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, & terribilis est supra omnes Deos.

Omnes dij gentium vani sunt, at Dominus noster cœlos fecit.

Decus & magnificentia ante eum est, potentia & gloria in sanctuario suo.

Narrate gentibus gloriam eius, & omnibus populis mirabilia eius.

Confundentur omnes qui colunt sculptilia, & qui gloriantur in dijs vanis.

Ignis

Ignis præcedet eum, & inflammabit per circuitum aduersarios eius. *Psa.57.*

Incuruate vos coram Domino omnes dij gentium, contra miscite a conspectu eius vniuersi incolæ terræ:

Domine Deus celsior es omnibus quæ sunt in terra, valde sublimatus es supra omnes Deos.

Illustrauerunt fulgura eius orbem: vidit & contremuit terra.


Montes quasi cera dissoluti sunt a facie Domini, a facie Domini totius terræ.

Custodiet Dominus animas sanctorũ, de manu impiorum eripiet eos.

Lætamini in Domino iusti, & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Ipse iudicabit in iustitia orbem, & populos in æquitate. *Psa.98.*

Oratio 3. ex Psalmis.



Domine Deus quam aucti sunt tribulatores mei, multi consurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ non est salus ei in Deo.

Sed tu Domine Deus protectio cir- *Psa.3.*

cum me es, tu gloria, & exaltans caput meum.

Non timebo a decem millibus populi qui se per circuitum locauerunt aduersum me.

Surge Domine, & salua me Deus, quoniam percussisti omnes inimicos meos in maxilla, & dentes impiorum contriuisti.

Psa. 5. In desolationem redige eos Deus meus, cadant a consilijs suis, & dispelle eos in multitudine iniquitatum eorum, quoniam tibi Domine Deus rebelles fuerũt.

Perdes eos qui loquuntur mendaciũ & virum sanguinum atque dolosum destruet Dominus.

Sed lætentur omnes qui sperant in te, exultabunt in te, qui diligunt nomen tuum.

Domine Deus duc me in iustitia tua, & dirige ante faciem meam vitam tuam.

Psa. 17. O Domine Deus custodi me vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum absconde me.

Salua me a facie impiorum qui me affligũt, serua me ô Deus ab inimicis meis, qui pro anima circumdant me.

Sustenta gressus meos in semitis tuis, ne labantur vestigia mea.

Persequar

Persequar inimicos meos, & compre- Psa.18.
hendam eos, vulnerabis eos vt assurgere
nequearit, quoniam tu Deus meus accinxisti me ad bellum & tu sternes aduersarios meos subter me.

Deus est qui dat vindictas mihi, & mansuefacit populos sub me.

Ipse eruet me de inimicis meis, & supra aduersarios meos eleuabit me Deus meus, a viro iniquo liberabit me.

Quis enim Deus præter Dominum, & quis est fortis præter Deum nostrum.

Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & Psallam nomini tuo.

Domine in fortitudine tua gaudebit
rex & in salute tua exultabit vehemen- Psa.21.
ter.

Quia rex sperat in Domino, & in pietate altissimi non mutabit.

Ideo Domine Deus inueniet manus tua, omnes inimicos tuos, & dextera tua inueniet omnes te odio habentes.

Tu Domine pones eos vt clibanum ignis in tempore iræ tuæ, Dominus in ira sua deuorabit eos.

Fructum eorum de terra perdes Deus meus, & semen eorum a filijs hominum.

Aperierunt contra me os suum, sicut Psa.21.
Leo rapiens & rugiens.

Foderunt manus & pedes meos,sed tu Domine non longe aberis a me.

Eripe a gladio animam meam Domine, & salua me ab ore Leonis.

Psa.20. Exaudiat me Dominus in die tribulationis meæ, protegat me nomen Dei Iacob.

Mittat mihi Deus auxilium de sanctitate sua, atq; de Sion suffulciat me Dominus.

Psa.26. Non concludas Domine cum peccatoribus animam meam, neq; vitam meam cum viris sanguinum.

Proba me Domine Deus & tenta me, examina renes meos & cor meum.

Nam pietas tua est ante oculos meos, & conuersabor in veritate tua.

Lauabo manus meas in innocentia & circumdabo altare tuum Domine.

Domine Deus meus dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.

Psa.28. Ne traxeris me cum impijs Domine Deus, & cum ijs qui operantur iniquitatem,& qui loquuntur pacem cum proximis suis,& est malum in corde eorum.

Psa.31. Da Deus illis iuxta opus eorum,da eis iuxta maliciam eorum, restitue retributionem eorum eis.

Con-

Confundantur impij Domine,& compeſcantur in ſepulchro, obmuteſcant labia mendacia quæ loquuntur aduerſus iuſtum idq; cum ſuperbia & contemptu.

Peccatum meum notum tibi faciam, Pſa.32.
atq; iniquitatem meam non operui Domine.

Confeſſionem de peccatis meis faciam Domino , & tu Deus meus remiſiſti iniquitatem peccati mei.

Prope eſt Domine ijs qui contrito Pſa.34.
ſunt corde, & ſaluabit eos qui humiliatum habent ſpiritum.

Multa mala accidunt iuſto, at Dominus ex omnibus ijs liberat eum.

Age tu Domine cauſam meam cum Pſa.35.
ijs qui mecum contendunt, apprehende clypeum & ſcutum, & ſurge in auxilium meum.

Profer lanceam, & conclude viam in occurſum perſequentium me: dic animæ meæ ſalus tua ego ſum.

Confundantur & ignominia afficiantur qui quærunt animam meam, agantur retrorſum & pudefiant qui malum mihi cogitant.

Fiant ſicut puluis ante ventum, & angelus Domini impellat eos.

Sit via illorum tenebræ & lubricitate

plena

plena,& ſit angelus Domini perſequens eos.


Quoniam abſq; cauſa abſconderunt mihi foueam retis ſui, ſine cauſa inquam fecerunt foueam animæ meæ.

Vidiſti Domine, ne taceas: ne longe abſis a me Domine Deus meus.

Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam Domine Deus, & non lætentur de me.

Et lingua mea reſonabit iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.

Oratio 4. ex Pſalmis.

Pſa.140. Rue me Domine Deus ab homine malo,& a viro iniquo cuſtodi me.

Serua me mi Deus ab ijs qui mala cogitant in cordibus ſuis & quotidie concurrunt ad prælia.

Exacuerunt linguam ſuam, ſicut ſerpens, venenum aſpidis eſt ſub labijs eorum.

Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funibus expanderunt rete iuxta ſemitas, atque offendicula mihi poſuerunt.

Domine Deus fortitudo ſalutis meæ, tu Deus meus vmbraculum præbes capiti

piti meo in die quo arripienda sunt arma.

Cadant super eos carbones, in ignem deijciat eos Deus, & in foueas vt non resurgant.

Nam mihi malum pro bono retribuebant, & conati sunt priuare me anima mea. Psa. 35.

Gladium strinxerunt impij, & tetenderunt arcum, vt iugulent eos qui recto sunt corde. Psa. 37.

Intret gladius eorum Domine Deus in cor eorum, & arcus eorum confringantur.

Confundantur & erubescant pariter, qui lætantur de malo meo, induantur confusione & pudore, qui se magnificant contra me.

Non dicant in corde suo, euge animæ meæ, neq; dicant deuorabimus eum.

Non lætentur de me inimici mei Domine inique, neq; qui odio me habent annuant oculo.

Tu Domine propter nomen tuum viuificabis me, & in iustitia tua educes de tribulatione animam meam. Psa. ..

Et per pietatem tuam perdes inimicos meos, & perdes omnes qui aduersantur animæ meæ, quoniam ego seruus

uus tuus ſum.

Pſa.144. Redime me & erue me de manu inimicorum, quorum os loquutus eſt vanitatem, & dextera corũ, eſt dextera iniquitatis.

Eijce fulmen & diſſipa eos: mitte ſagittas tuas & diſturba illos.

Demitte manus tuas Domine e ſublimi, libera me & eripe me de manu filiorum alienæ gentis.

Libera me Domine Deus a perſequẽtibus me, & educ de carcere animam meam vt confitear nomini tuo.

Pſa.129. Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.

Sæpe moleſti fuerunt mihi a pueritia mea, & tamen non præualuerunt mihi.

In dorſo meo arauerunt aratores & in longum protraxerunt ſulcum ſuum.

Dominus iuſtus incidit funes impiorum, confundantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

Vide Domine afflictionem meam, & erue me, nam legis tuæ nõ ſum oblitus.

Vindica cauſam meam & redime me, iuxta eloquium tuum Domine viuifica me.

Multi ſunt Domine Deus qui perſequuntur me, & aduerſãtur mihi, a teſti-

monijs

monijs autem tuis non declinaui.

Principes persequuti sunt me sine causa: & a verbis tuis expauit cor meũ.

Lætor ego super eloquio tuo Domine, sicut qui inuenit prædam opimam.

Mendacium odio habui, & execratus sum, legem autem tuam Domine Deus dilexi.

Ad Dominum in tribulatione mea clamaui & exaudiuit me. Domine libera animam meam a labijs mendacij, & a lingua dolosa. *Psa.12*

Increpasti gentes, & perdidisti impios Domine, & nomen eorum in seculum delesti.

Quoniam ineunt concilium gentes contra Deum, & populi meditati sunt inania, statuunt se reges terræ contra Dominum, & contra Christum eius.


Sed tu Domine Deus dispelles eos, sicut pallea a facie venti, vt non resurgant in cætu iustorum. *Psa.1.*

Pluet super impios laqueos, ignem & sulphur, & spiritus procellarum erit pars calicis eorum.

Ego autem in pietate tua Domine speraui, exultabit cor meum in salute tua.

Tu Domine custodies me, seruabis me a generatione istã, in seculum. *Psa.12.*

Oratio Moyses pro se & pro peccatis populi ad Dominum.

Deut.9. 
Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, ne desperdas populum tuũ & hæreditatẽ tuam, quã redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto huius seculi. Recordare Abraham, Isaac & Iacob. Ne aspicias duritiam populi huius & impietatem atque peccatum, quia est populus tuus, & hæreditas tua quam parasti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

Deut.3. Domine Deus tu cæpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam validam. Quis enim Deus in cœlo est, & in terra qui faciat secundum opera tua, & secundum fortitudinem tuam. Et nunc quæso, si inueniam gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, & fac me scire vitã tuã, vt inueniam gratiam in conspectu tuo, respice Domine populum tuum gentem hanc, Si quæso inueni gratiam in oculis tuis Domine

Exod.34. vadat nunc Dominus per medium nostri, quia populus duræ ceruicis est, & parces iniquitati nostræ, & peccato nostro,

stro, & hæreditate accipies nos. Sis Domine in medio populi tui & nubes tua protegat eos, & in columna nubis præcedas eos, per diem, & in columna ignis per noctem, magnificetur ergo fortitudo Domini. Tu Domine Deus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitates & scelera nostra, nullum noxium derelinquens, qui visitas peccata patrũ in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte obsecro, & parce iniquitati populi tui, secundum magnitudinẽ misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto, ne irascatur Domine furor tuus in populum tuum, quiescat ira tua o Deus, & esto placabilis super nequitias nostras. Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorũ, quibus iurasti per temetipsum, dicens, multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli, & omnem terram, quam dixi dabo semini vestro, & possidebitis eam semper; Beatus es Israel, qui seruatus es per Dominum, scutum auxilij tui, & qui est gladius excelentiæ tuæ. Cantabo Domino meo quia magnificatus est, fortitudo mea, & laus mea Dominus Auxiliator & protector factus est mihi in salutẽ hic meus Dominus, & glorificabo eum:

Num. 24.

Exod. 32.

Exod. 15

eum: Deus patris mei, & exaltabo eum, dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine fregit inimicos, & in multitudine magnificentiæ tuæ, diruisti insurgentes contra te, misisti iram tuam Domine & deuorauit eos tanquam stipulam. Quis sicut tu in dijs Domine, quis sicut tu glorificatus in sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia, Dominus regnabit in seculũ, date magnitudinem Deo nostro, Dei perfectum est opus, & omnes viæ eius iudicium, Deus veritas, & non est iniquitas in eo, iustus & rectus est Dominus Deus cui gloria, & sanctitas in perpetuum. Amen.

Pro beneficijs acceptis
Oratio David.

QVis ego sum Domine Deus, & quæ est domus mea quod amasti me, & quia adduxisti me huc vsq;. Tu enim scis seruum tuum Domine, propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, vt notum faceres seruo tuo. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui neque est

Deus

Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus noſtris. Et nunc Domine Deus, verbum quod loquutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper populum tuum, confirmetur in ſeculum, & magnificetur nomen tuum in perpetuum, Dominus exercituum Deus ſuper Iſrael, & Domus famuli tui erit erecta coram te. Quia tu Dominus omnipotens Deus Iſrael reuelaſti aurẽ ſerui tui, dicens domũ ædificabo tibi, ideo inuenit ſeruus tuus cor ſuum vt oraret te, Nunc Domine Deus, tu es Deus, & verba tua ſunt vera, incipe & benedic Domui famuli tui, & ſit in ſeculum coram te, quia tu Domine Deus loquutus es, & benedictione tua benedicetur domus ſerui tui in ſempiternũ, cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas mea in Domino. Dominus petra mea, & ars mea, & liberator meus, mihi Deus erat cuſtos, Deus fortitudo mea ſperabo in eo, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, ille ſuſceptor meus & refugium meum, ſaluator meus, qui ab iniquo ſaluabit me. Inuocabo Dominum meum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Circumdederunt me contritiones mortis, & torrentes impij terruerunt me, dolores inferni circumdederunt me & præuenerunt

Cantic David. Samu. 22.

uenerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo, & audiet Deus de templo sancto suo vocem meam. Mittet Deus meus de alto & assumet me, trahet me de aquis multis, liberabit me de robore inimicorum & ab ijs qui me odio habent. Dominus factus est mihi firmamentum retribuet Dominus mihi secundum misericordiam suam ego filius ancillæ tuæ custodiam vias domini, & non impie agam coram Deo meo. Quia omnia iudicia tua Domine in conspectu meo, & a statutis tuis non recedã. Tu domine populum mansuetum saluabis, & oculos excelsos humiliabis, quoniã immaculata est via tua & eloquium tum domine igne examinatum, protector est Deus omnibus sperantibus in se. Tu es lucerna mea domine, & dominus illuminabit tenebras meas. In te domine contriui exercitum & in Deo meo transiliam murum. Quis enim Deus præter dominum, & quis fortis præter Deum nostrum. Ille dabit mihi clypeum salutis meæ & docebit manus meas ad prælia. Benedictus Deus qui creauit me, & exaltetur Deus salutis meæ, qui dedit vindictas mihi, & humiliabit populos sub me.

me. Propterea confitebor tibi domine & nomini tuo pſallam in perpetuum. Amen.

Oratio Salomonis pro populo & pro ſapientia impetranda ad recte gubernandum populum.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael qui loquutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum & in manibus eius perfecit. O Domine Deus Iſrael non eſt ſimilis tibi Deus in cœlo deſuper, nec ſuper terram deorſum cuſtodiens pactum & miſericordiam cum ſeruis tuis qui ambulant coram te toto corde ſuo, nunc domine Deus Iſrael firmentur verba tua quæ loquutus es ſeruo tuo Dauid patri meo. Reſpice ad orationem ſerui tui Domine, & ad deprecationem filij ancillæ tuæ Deus meus, vt audias clamorem, & orationem, quam ſeruus tuus orat coram te hodie, vt ſint oculi tui, pijſſimi, aperti ſuper me, & ſuper populum tuum in domo tua. Ego peccator ſcelera mea noſco, ideo cor meum extollo & manus meas expando ad te domine Deus, & tu exaudies de cœlo & de loco habitationis tuæ vocem Reg. 8.

ſerui

serui tui,& parces & facies filio serui tui
Dauid secundum magnam misericordi-
Paralep. am tuam. Tu enim nosti solus cor ho-
29. minis quam vanum & impium sit. Tu
Deus benedictus es ab æterno & vsque
in æternum. Tibi magnitudo & poten-
tia, tibi Domine magnificentia & victo-
ria, tibi soli honor & gloria. Cuncta e-
nim quæ in cælo & in terra sunt, tua
sunt Domine, & tu eis ad voluntatem
dominaris. Tuum est regnum Domine
Deus, & exaltatio super omnes princi-
pes, diuitiæ & gloria a facie tua. Et in
potestate tua virtus & fortitudo. In ma-
nu tua Domine est magnificare & con-
fortare omnia. Et nunc Domine Deus
confitemur & laudamus nomen gloriæ
tuæ, da pacem Domine Deus noster, &
possíde nos in hæreditatem tuam extra
te alium non scimus esse Deum. A te
Deus sunt omnia,& de manu tua omnis
nostra vita,dies nostri sicut vmbra super
terram,& non est salus sine te. Tu Deus
corda hominum probas & diligis iusti-
Sapi.9. tiam. O Deus patrum meorum, & Do-
mine misericordiæ, qui fecisti omnia
verbo tuo, & sapientia tua constituisti
hominem vt dominaretur creaturæ quæ
a te facta est, vt disponat orbem terrarũ
in

in æquitate & iustitia da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meum enflammet ad cognoscendum & amandum te Dominum Deum meum in omnibus & super omnia, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum legis tuæ, Mitte Domine Deus sapientiam tuam de cælis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te, Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me potentia sua. Quis hominum poterit scire concilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam illi, & miseris spiritum sanctum de altissimis. Domine pater & dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne prauum desiderium auerte a me. Aufer a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me & animæ irreuerenti & effronti ne tradas me Domine Deus. Amen.

Oratio Ezechiæ post minas Sennacherib auxilium Dei implorantis.

2.Reg. DOmine Deus Israel qui sedes super Cherubin, tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum & terram. Inclina Domine aurem tuam & audi, aperi oculos tuos, & vide domine, & audi omnia verba Sennacherib quæ loquutus est vt exprobraret Deum viuentẽ. Et nunc Domine Deus libera me de manu eius, & saluum fac obsecro populum tuum, vt sciant omnia regna terræ quod tu es dominus Deus solus. Et ego Domine Deus quasi Hirundo sic clamabo ad te, & sicut Columba meditabor die ac nocte leuabo oculos meos ad cæli Dominum, qui eruet a me dolorem animæ meæ. Tu Domine suscitasti spiritum & consolatus sum. Ecce Domine in pace amaritudo mea, sed tu liberasti animam meam vt non pereat, & proiecisti post me omnia peccata mea. Non enim qui in inferno laudabunt te Domine, neq; mortui benedicent tibi, neque sperabunt qui in inferno misericordiam tuam, viuentes domine Deus benedicent tibi & ego notam

Isaiæ.38.

notam faciam veritatem tuam populo tuo Domine, & annunciabo iustitiam tuam Deus salutis meæ, & non requiescam benedicens tibi cum psalterio omnibus diebus vitæ meæ in domo Domini Dei mei. Obsecro Domine memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Amen. *moriens.*

Oratio regis Asæ aduersus Hostes ad Dominum.

O Domine Deus, non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris an in pluribus. Adiuua nos Domine Deus noster in te spes nostra & in nomine tuo habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem Domine Deus noster tu es, non præualeat contra te homo.

Oratio Iosaphat ad Dominum Deum contra inimicos suos.

O Domine Deus patrum nostrorum, tu ipse es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium, & in manu tua est fortitudo

titudo & potentia, & non est qui possit tibi resistere. Nonne tu Deus noster expulisti habitatores terræ huius a facie populi tui Israël, & dedisti eam amico tuo Abraham & semini eius in seculum, & ædificauerunt tibi Domine Deus in ea sanctuarium nomini tuo dicentes: O Domine si venerit super nos malum, gladius iudicij, fames, mors, stabimus corã te in domo tua Domine, & nomen tuum inuocabimus in templo sancto tuo & clamabimus ad te in angustijs nostris, & tu exaudies, & nos saluos facies. Et nunc ecce Domine Deus insultant aduersum nos aduersarij nostri filij Hammon, & Moab, aduenæ & peregrini a te Deus noster veniunt contra nos, vt eijcerent nos de hæreditate tua, quam tu Domine Deus dedisti nobis in possessionem nostram. O Domine Deus noster, nonne iudicabis eos? quoniam non est nobis fortitudo ad resistendum contra multitudinem hanc multam quæ venit contra nos, Nos autem nescimus quid faciamus, sed in te sunt oculi nostri, te & nomen sanctum tuum inuocabimus. Hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te. Amen.

Oratio

Oratio Manassis Regis Iuda quum captus teneretur in Babilone.

DOmine Deus omnipotens patrum nostrorũ Abraham, Isaac, & Iacob & seminis eorum iusti, qui fecisti cœlum & terram cum omni ornatu eorum, qui signasti mare verbo præcepti tui, qui conclusisti abyssum, & signasti terribili & laudabili nomini tuo, quē omnes pauent & tremunt a vultu virtutis tuæ. Insustentabilis ira super peccatores comminationis tuæ, immensa vero, & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ, quoniam tu Deus es Dominus altissimus super omnem terram longanimis & multum misericors, & patiens super malitias hominum. Tu autem Domine secundũ multitudinem bonitatis tuæ promisisti pænitentiam vel remissionẽ peccatorum iis qui peccauerunt tibi, & multitudine miserationum tuarum decreuisti penitentiam peccatoribus in salutem. Et tu Deus iustorum non posuisti pænitentiã iustis, Abraham, Isaac, & Iacob, iis qui tibi non peccauerunt, sed posuisti pænitentiam propter me peccatorem. Quo-

niam ego peccaui super numerũ arenæ maris, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ. Domine multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non dignus intueri & aspicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum, incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam Domine, & malum coram te feci, non feci voluntatem tuam, & mandata tua non custodiui, statuens abominationes, & multiplicans offensiones meas. Et nunc flecto genua cordis mei, præcãs a te bonitatem tuam, peccaui Domine, O Domine peccaui, iniquitatem meam agnosco & peccatum meum contra me est semper, peto rogans te domine Deus, remitte mihi, remitte mihi peccata mea, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neq; in æternũ reserues mihi mala, quia tu es Deus meus, Deus inquã pœnitentiũ, & in me ostende iratus omnẽ bonitatem tuam, quia indignum saluabis me propter magnam misericordiam tuã. Et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi est gloria in secula seculorum. Amen.

Oratio Iacob qua se a fratre Isau liberari petit. Gen. 32.

DEus patris mei Abraham,& Deus patris mei Isaac,Domine qui dixisti mihi reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ,& benefaciam tibi minor sum cunctis miserationibus tuis, & omni veritate tuâ quã fecisti cum seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum,& nunc cũ duabus turmis regredior. Erue me nunc Domine Deus, de manu fratris mei, de manu Esau, quia valde eum timeo, ne forte veniat & percutiat me, matremque cum filijs. Tu Domine loquutus es,quod benefaceres mihi,& dilatares semen meum,sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest, Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panẽ ad vescendum, & vestimentum ad induendum, & reuersus fuero in pace ad Domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulũ vocabitur Domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi ô Deus meus. Amen.

Votum Iacob.

Oratio Iosuæ dum fugeret populus in bello.

HEu Domine Deus quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi & perderes? Mi Domine Deus quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem. Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra, & quid facies nomini tuo magno Domine Deus. Peccauimus tibi quia dereliquimus te Deũ nostrum, & seruiuimus diu Baalim. Peccauimus Domine Deus, redde tu nobis quicquid tibi placet, tantum nunc libera nos propter nomen tuum magnum. Amen.

Oratio decimas offerentium & frugum primitias. Deut. 26.

O Domine Deus Sirus persequebatur patrem meũ qui discendit in Ægyptum & ibi perigrinatus in paucissimo numero, venitq; in gentem magnam ac robustã & infinitæ multitudinis. Et afflixerunt nos

nos Ægyptij, & persequuti sunt, & posuerunt super nos seruitutē duram, & clamauimus ad Dominum Deum patrum nostrorũ, & exaudiuit Dominus vocem nostram,& respexit humilitatem nostrã, & laborem atque angustias, & eduxit nos ex Ægypto cum potentia forti, & brachio extento in ingenti pauore, & magno terrore, in signis & portentis, & fecit nos venire ad locum istum, & dedit nobis terram istam, terram fluentem lacte & melle. Et nunc ecce attuli primitias frugũ terræ,quam dedisti mihi Domine. Attuli quod sanctificatum est domo mea, & dedi illud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, &viduæ sicut iussisti mihi: non præteriui mandata tua: nec sum oblitus imperij tui. O Domine non comedi ex eis in luctu meo, neque abstuli ex ea cum immundo, neque dedi ex ea pro defuncto, obdiui vocem Domini Dei mei, & feci omnia sicut præcipisti mihi. Amen.

Oratio

Oratio secunda ex Psalmis.



Onfitebor Domino in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Lętabor & exultabo in te Deus meus. Psallam nomini tuo altissime.

Hostes mei retrorsum labentur Domine Deus, labentur & peribunt a facie tua Deus.

Demersæ sunt gentes in fouea quam fecerunt, & in rete quod absconderunt inimici capti sunt pedes eorum.

Impius propter eleuationem vultus sui non requirit Deum, neque est Deus in omnibus cogitationibus suis.

Sedet in insidijs vicorum, & in latibulis interficit innocentem: oculi eius contra pauperem absconditi sunt.

Insidiatur in occulto, sicut Leo insidias ponit in tugurio, vt rapiat pauperẽ.

. Maledictione os eius plenum, atque dolis & fraude: sub lingua eius impietas & vanitas.

At conuertentur impij tandem in infernum, & omnes gentes quæ obliuiscuntur Dei.

Dixit

Dixit in corde suo impius, oblitus est Deus, abscondit faciem suam, & non videt in æternum.

Exurge Domine Deus,& leua manum tuam: ne obliuiscaris pauperum.

Vt quid blasphemat impius Deũ, dum dicit in corde suo, tu Deus non requires.

Ecce impij intendunt arcum, & adaptant sagittã suam super chordã in ipsa caligine,vt sagittẽt eosqui recto sunt corde.

Posui ego Dominum in conspectu meo, quoniam a dextera mea est semper ideo non labar.

Ob id lætatum est cor meum, ex exultauit gloria mea: & in seculum laudabo Deum meum.

Conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & prosternent se ante faciem tuam omnes cognationes gentium.

Quia Domini est regnum, & ipse dominatur in gentibus.

Etiam omnes qui te expectant non erubescent,erubescent qui præuaricantur sine causa.

In quorum manibus est scelus, & dextera eorum plena est munere.

Ego autem in integritate mea incedam redime me, & miserere mei Deus meus.

Exaltabo te Deus meus quoniam subuexisti

uexisti me & non lætificasti inimicos
Psa. 30. meos de me.

Domine ascendere fecisti animam meam ab inferis, & viuificasti me a discendentibus in foueam.

Eduxisti me de laqueo quem absconderunt mihi, quoniam tu es fortitudo mea.

Audiui contumeliam multorum, dum impij conspirant contra me,& consilium ineunt,vt capiant animam meam.

Psa. 35. Cum assentatoribus erant garruli subsannatores,qui frendebant dentibus suis contra me.

Psa. 36. Loquitur iniquitas impij in medio cordis mei, quod non est timor Dei in conspectu suo.


Nam blanditur sibiipsi in oculis suis, quo usq inueniatur iniquitas eius odio digna?

Verba oris eius iniqua & dolo plena sunt, destitit erudiri vt benefaciat.

Prauitatem cogitat in lecto suo,& constituit se in via non bona, nec vllum execratur malum.

Domine in cœlis pietas tua, & veritas tua vsque ad æthera.

Oratio 6. ex psalmis.



On irriteris Domine Deus propter malignos, neque celaueris operantes iniquitatem. *Psa.37.*

Quoniam tanquã gramen, velociter succidentur, & veluti herba virens marcescent.

Malignantes extirpabuntur, & qui expectant Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

Impij peribunt, & inimici Domini cũ fumo euanuerint, vidi impium insignem & succulentum, in morem lauri frondosæ.

Et transiui, & ecce non erat, quæsiui eum & non est inuentus.

Iniqui omnes delebuntur, & nouissimum impiorum exterminabitur.

Salus autem iustorum a Domino, qui & fortitudo eorum est in tempore tribulationis.

Multi laqueos tendunt, & quærunt animam meam, & inquirentes malum meum, loquuti sunt prauitates & meditati sunt tota die dolos. *Psa.38.*

Inimici mei viuunt, & robosti sunt domine,

mine, multiplicati ſunt qui me iniuſte odio habent.

Et qui reddunt malum pro bono aduerſantur mihi : eo quod ſequor bonum.

Ne derelinquas me Deus meus, ne longe abſis a me.

Feſtina in auxilium meum Domine ſalus mea, & ſalua animam meam.

Adiuuabit me Dominus Deus, & liberabit me ab impijs & ſaluabit me eo quod ſperaui in eo.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, a ſeculo & vſque in ſeculum.

Domine Deus miſerere mei, ſana animam meam quia peccaui tibi.

Inimici mei de me malum dicunt: quando morietur & peribit nomen eius.

Impius vanitatem loquitur, & cor eius intra ſe mēdacium colligit, & vanus vana ſectatur.

Pariter aduerſum me muſſitant omnes inimici mei, aduerſum me cogitant malum mihi.

Veniat impio deſolatio quam neſcit, & rete eius quod abſcondit capiat eum, in perditionem ipſam cadat.

Non veniat contra me pes ſuperbus hoſtium, & manus impiorum non commoueat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, impulsi sunt & non poterunt stare.

Speculatur impius iustum, & occasionem quærit vt interficiat eum.

At iusti hæreditabunt terram, & habitabunt super eam in seculum, & semen impiorum extirpabitur.

Sternet Dominus populos subter nos, & nationes sub pedibus nostris.

Seliget nobis hæreditatem nostram, magnificentiam Iacob quam dilexit.

Veniet Deus noster, & non tacebit, ignis ante ipsum flagrabit, & per circuitũ eius turbo vehemens excitabitur.

Aduocabit cœlum desuper, & terram vt iudicet populum suum.

Quid itaque gloriaris in malitia ô potens, prauitates cogitat lingua tua, sicut nouacula acuta facis dolum.

Dilexisti potius malitiam quam bonitatem, & loqui mendacium magis quam iustitiam.

Dilexisti cuncta verba perditionis lingua dolosa.

Oratio 7. ex Psalmis.

EXurge Deus, iudica causam tuam: memor esto opprobrij tui, quod fit quotidie a stulto.

Ne obliuiscaris vocis aduersariorum

riorum tuorum: tumultus eorum qui consurgunt aduersus te ascendit semper.

Ne tradas cœtui hostium animam turturis tuæ: & congregationes pauperum tuorum ne obliuiscaris in perpetuum.

Psa.74. Leua vestigia tua vt deuastes in perpetuum, omnem hostem qui male egit in sanctuaria.

Rugierunt aduersarij tui in medio ecclesiarum tuarum, & posuerunt signa sua signa.

Miserunt in ignem sancta tua: & in terram deijcientes polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo, sæuiemus in eos pariter, excusserunt cunctas synagogas Dei in terra.

Vsq; quo Deus exprobrabit inimicus, & blasphemabit hostis nomen tuum in perpetuum?

Quare auertis manum tuam & dexteram tuam? de medio sinus tui profer eam vt hostem consumas.

Deus enim Rex meus est ab antiquo, qui operatur salutes in medio terræ.

Tu Deus dissipasti in fortitudine tua mare: tu confregisti capita draconum in aquis.

Tu ex scissuris produxisti fontem & fluuium: tu exiccasti flumina valida.

O Domine Deus tuus est dies, tua etiam est nox: tu præparasti lucem & solē.

Tu cōstituisti omnes fines terræ, æstatem & hyemem tu formasti Domine.

Esto memor huius, quod inimicus probro affecit Dominum, & populus insipiens violauit nomen tuum.

Tu Deus terribilis es, & quis stare poterit ante faciem tuam extunc quo exarserit ira tua.

De cœlis auditū fecisti iudicium, terra timuit & siluit,

Cum exurgeret Deus ad iudicium, vt saluaret cunctos mansuetos terræ.

Exultantes cantate Deo fortitudini *Psa.80.*
nostræ, iubilate Deo Iacob.

Sumite Psalmum & date tympanum, citharam iucundam cum nablo.

Clangite tubam in neomenia, in tempore constituto, & die solemnitatis nostræ.

Domine Deus exercituum conuerte nos, & fac illucescere vultum tuum & saluabimur.

Nos populus tuus atque oues pascuæ tuæ, confitebimur tibi in seculum, in generationem & generationem narrabi-

mus laudem tuam.

Quare dicunt gentes, vbi est Deus illorum?

Nota fiat inter gentes, videntibus oculis nostris vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est.

Veniat in conspectum tuum gemitus vincti: secundum magnitudinem potentiæ tuæ, fac eis.

Domine Deus exercituum exaudi orationem meam: ausculta Deus Iacob.

Protector noster Deus aspice nos, & intuere faciem Christi tui.

Malui limen tenere in domo Dei, quã habitare in tabernaculis impietatis.

Nam sol & scutum est Dominus Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus ijs qui ambulant in perfectione.

Misericordiam Domini in æternum cantabo: & notam faciam semper veritatem tuam ore meo.

Recordare Domine opprobrij seruorũ tuorum, quam viles facti sumus vicinis nostris.

Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tui altissime.

Quoniam lætificasti me Domine in operibus tuis, & in operibus manuum tuarum laudans exultabo.

Quam

Quam magnificata sunt opera tua Domine: valde profundæ sunt cogitationes tuæ.

Inimici tui Domine peribunt, & disperdentur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur cornu meum sicut vnicornis: delibutus enim sum vnguent. Oliuæ virentis.

Et respexit oculus meus insidiatores meos, atque audient aures meæ de malignis qui consurgunt contra me.

Iustus instar palmæ florebit, & quasi Cedrus in Libano diffundet se.

Plantati sunt in domo Domini: in atrijs Dei nostri florebunt.

Ad enunciandum quod rectus & iustus est Dominus· fortitudo mea,in quo nulla est iniquitas.

Cantate Domino,& benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutem eius.

Oratio 8. ex Psalmis.

AFferte Domino gloriam & potentiam, date Donuino gloriam debitam tollite oblationem, & introite in atria eius.

Incur-

Incuruate vos coram Domino in magnificentia sanctitatis eius, contremiscite a conspectu eius vniuersi incolæ terræ.

Dicite in gentibus, Dominus regnauit, & firmabitur orbis terræ vt non commoueatur.

Dominus regnauit exultet terra, lætentur insulæ multæ.

Lætentur cœli & exultet terra, perstrepat mare & plenitudo eius.

Psa.93. Iubilate Deo omnis terra, resonate, exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara: in cithara & voce carminis.

In buccinis & voce tubæ: iubilate in conspectu Domini regis.

Flumina plandent, pariter montes tripudiabunt coram Domino qui venit iudicare terram.

Ipse iudicabit orbem in iustitia, & populos in æquitate.

Deus in quo laus mea ne taceas: quia os impij & os dolo plenum super me aperta sunt.

Et verbis ociosis me circundederunt, & pugnauerunt contra me sine causa.

Psa.109. Ipsi posuerunt contra me malum pro bonitate, & odium pro dilectione mea.

Fiat posteritas eorum in exterminium: in

in generatione altera deleantur nomina eorum.

In memoriam reuocetur iniquitas eorum, & peccata eorum a te Domine deleantur.

Dilexit maledictionem & veniet ei, & non voluit benedictionem ideo elongabitur ab eo.

Et tu Domine Deus fac mecum propter nomẽ tuum quia bona est pietas tua: libera me.

Adiuua me Domine Deus meus: salua me secundum pietatem tuam.

Ipsi maledicant, tu autem benedicas: qui insurgunt in me confundantur, seruus vero tuus lætabitur.

Serua me Deus ab inimicis meis, & in virtute fortitudinis tuæ protege me.

Custodi animam meam quoniam sanctus es tu, saluum fac seruum tuum qui in te confidit.

Multi me quotidie oppugnant, & animam meam quærunt vt perdant eam.

O Deus adiuua me, Domine ab insurgentibus libera me.

Eripe me de manibus inimicorum meorum, ne proijcias me in tempore tribulationis, cum omnis defecit mea virtus.

In dies augescit sæuitia eorum, & cætus

tus robuſtorum irreunt in me & non ponunt te in conſpectu ſuo.

O Domine Deus reſpice ad me, & miſerere mei, da ſeruo tuo fortitudinem tuam quoniam te inuoco.

Reuertantur impij ad infernum, capiantur in fouea quam perfoderunt.

Conſumantur vires eorum, & peruerſitas ipſorum in caput ſuum diſcendat.

In fugam conuerte eos, Decidant a cōcilijs ſuis, iuxta nequitiam ſuam præcipita eos, nam rebelles tibi ſunt.

Ego autem in te ſperabo Domine Deus, qui ſaluos facis in te confidentes.

Vt ſcoriam abolebis omnes impios qui ſunt in terra, propterea dilexi teſtimonia tua.

Conculcaſti omnes aberrantes a ſtatutis tuis, eo quod mendacium & fallacia in eis ſit.

Dominus cuſtodiet me ab omni malo ipſe cuſtodiet animam meam.

Dominus cuſtos meus, Deus vmbra mea ad manum dexteram meam, vt ſol non vrat me per diem, neque luna per noctem.

In te Domine ſpem meam pono, ſalua me ab ijs qui me perſequūtur, & eripe me.

Illi dicunt Domine quod tu tuorum obli-

obliuiſceris, abſcondis faciem tuam a nobis.

Surge Deus meus extende manum tuam, ne obliuiſcaris eorum qui oppreſſi ſunt.

Oratio Eſaias miſericordiam Dei extolli.

BEnedicam tibi Domine quoniam iratus es,& auertiſti furorem tuum & miſertus es mei. Ecce Deus meus ſaluator confidam in eo & non timebo,quoniam gloria mea,& laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, hauriam aquas in gaudio de fonte ſalutis & Confitebor Domino, clamabo nomen eius, & annunciabo in gentibus gloriam eius, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius, laudate nomẽ Domini, quoniam excelſa fecit Cantate Domino cuius magnificentia eſt in æternum. Exultate & lætamini habitãtes Sion quia exaltatus eſt ſanctus Iſrael in medio tui. O Domine Deus meus es tu exaltabo te & laudabo nomen tuum, tu fuiſti fortitudo pauperi, & in tribulatione egeno protectio, tu Deus a malis liberabis eos aſpice e cœlo Domine Deus, & vide de

habita-

habitaculo sanctitatis tuæ, & gloriæ tuæ, vbi est zelus tuus & fortitudo tua? Vbi multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? Tu Domine pater noster, redemptor noster, a seculo est nomen tuum. Quare seduxisti nos Domine de via tua? indurasti corda nostra ne timeremus te. Conuertere Deus meus propter seruos tuos tribus hæreditatis tuæ. Ecce iratus tu & nos peccauimus, errauimus & facti sumus immundi vt pannus inquinatus omnis iustitia nostra, & decidimus veluti folium omnes nos, & iniquitates nostræ tanquam ventus abstulerunt nos, & non est qui inuocet nomen tuum Domine, quia abscondisti faciem tuam a nobis, & tradidisti nos propter peccata nostra. Et nunc Domine Deus pater noster es tu, nos lutum & tu fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris nobis nimis Deus meus, & ne in seculũ memineris iniquitatis nostræ. Respice Deus omnes nos, ciuitas sancta tua facta est deserta, Sion quasi solitudo est, & Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, in qua laudauerunt te patres nostri, facta est igne combusta, & omnis gloria nostra conci-
cide-

ciderunt & super ijs continebis te Domine, tacebis & affliges te valde. Domine Deus noster pacẽ dabis nobis, omnia enim reddidisti nobis posside nos Deus noster, Domine extra te alium non scimus, tantum tibi fidimus ideo memorabimus nomen tuum. O Domine Deus miserere mei filij ancillæ tuæ quia memoria tui est desiderium animæ meæ. Te Dominũ & Deum meũ animo desideraui, etiam & spiritus meus quærit te, quia præcepta tua mihi lux sunt super terram. O Domine Deus tantum tibi fidimus & nomen tuum solum inuocamus. Dominus iudex noster, Dominus princeps noster, Dominus rex noster, Dominus ipse saluabis nos. Tu Deus magnus, potens, & æternus, qui incuruas habitantes in excelsis, & humilias sublimes vsque ad terram, respice me seruum tuum, esto mihi tegmen a turbine, & vmbracula ab æstu, vt liber omnibus periculis tuo spiritu munitus in domo tua Domine sic semper nomini tuo Psallam cum angelis tuis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, pleni sunt cœli & terra maiestatis gloriæ tuæ O Deus in Excelsis, Amen.

Oratio

Oratio Ieremiæ.

RECordare Domine, & intuere opprobrium nostrum, hæreditas nostra versa est ad alienos, matres nostræ viduæ sunt, aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra prætio comparauimus, domus nostræ ad extraneos, serui dominati sunt nostri, & non fuit qui redimeret de manu eorum, pupilli facti sumus absque patre, Ægypto dedimus manus, & assirijs, vt saturemur pane. Domine Deus, patres nostri peccauerunt & nos iniquitates eorum portauimus, senes defecerunt de portis, & iuuenes de choro Psallentium, mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda, principes manu suspēsi sunt, & facies senum non erubuerunt, defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctus chorus noster. Tu autem Domine in æternum permanes, solium tuum in generatione & generationē: quare in perpetuum obliuisceris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, innoua dies nostros sicut a principio. Non est similis tui Domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitu-

fortitudine. Quis non timebit te rex
gentium, quia inter omnes sapientes
gentium, & inter omnia regna eorum
non est sicut tu Deus meus. Noui Domi- 10
ne, quod nō est hominis via eius, non est
hominis mi Deus vt dirigat gressum suū.
Corripe me Domine in iudicio tamen,
non in furore tuo, ne miser peream in cō-
spectu tuo, Sed iustus es tu Domine De-
us, nosti me, vidisti me, & probasti cor
meum, ne procul sis a me, sed semper e-
sto prope ori meo. Scio peccata mea, &
scelera mea agnosco, iniquitatem feci, &
coram te mala mea sunt, quia peccaui ti-
bi O Domine Deus, ne reprobes me
propter nomen tuum, & ne deijcias ser-
uum tuum de solio gloriæ tuæ, ne irrites
pactum tuum nobiscum, tu Dominus &
Deus noster es, quem expectamus, cu-
ius sola misericordia vita nostra est, re-
cordare nostri, visita nos, & vindica nos
de inimicis nostris. Et erit verbum tuum
Domine nobis in lætitiam & in gaudiū
cordis nostri, & inuocabimus semper no-
men tuum Domine Deus rex exercituū. 17
O spes Israel Domine, omnes qui dere-
liquerunt te, pudore afficientur & rece-
dentes a te in terra scribentur, quia te
fontem vitæ, & Dominum viuentium

dereliquerunt. Exaudi me Domine & exaudi vocem fletus mei. Sana me & sanabor, saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es Domine Deus. Heu heu Deus pater, ecce tu fecisti cœlum & terram potentia tua magna, & excelso tuo brachio, nihil a te Domine absconditum est, qui misericordiam facis in millibus, & reddis pœnam iniquitatis patrũ in sinum filiorum. Deus magnus & fortis, Dominus virtutum nomen ei, magnus concilio, & potens operibus. Oculi tui aperti sunt Domine super vias omnes filiorum hominum, vt des vnicuiq; secundum opera sua. Væ mihi quia peccaui tibi, ideo cor meum mæstum est, & oculi mei pre dolore obtenebrati sunt, sed tu Domine Deus in seculum permanes, & solium tuum a generatione in generationem, quia tecum misericordia multa, & miseratio nimia, tu nõ vis mortem impij, sed conuertatur vt viuat. Conuerte me Domine ad te, & conuertar, cor mundũ crea in me, & innoua dies meos, & ne irascaris mihi in perpetuum. Castigasti me Domine Deus, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus, conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Cessa propter nomen tuum

Domine

Domine ne perdas thronum gloriæ tuæ. Memento Domine Deus ne dissipes testamentum tuum quod nobiscum. Tu ipse Dominus Deus noster, qui fecisti omnia, qui dat solē in lucem diei, lunam & astra in lucem noctis, & clamorem in mari & resonuerunt fluctus eius, Dominus omnipotens nomen illi. Amen.

Oratio Danielis pro peccatis & tota Gente.

DOmine Deus magne & terribilis custodiens pactum & misericordiā diligentibus te& custodientibus mandata tua, peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus declinauimus a mandatis tuis, & recessimus a iudicijs tuis, Non audiui te Domine, nec obediuimus seruis tuis qui loquuti sunt nobis in nomine tuo. Tibi enim iustitia Domine, nobis confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem, & omni Israel ijs qui prope sunt & ijs qui procul sunt in vniuersis terris ad quos eijcisti eos propter iniquitatem eorum in quibus peccauerunt in te. Domine nobis confusio faciei, & regibus nostris, & principibus nostris & patribus nostris, qui peccauerunt tibi *Daniel. 9.*

bi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio quia recessimus a te,& non audiuimus vocem Domini Dei nostri vt ambularemus in lege eius quam posuit nobis per seruos suos Prophetas. Et nunc exaudi Domine Deus orationẽ serui tui & deprecationem eius,& ostende faciem tuam super sanctuarium tuum desertum propter te Domine,& ostẽde vultũ Domine seruo tuo,inclina Deus meus aurem tuam,& audi, aperi oculos nostros, & vide desolationem nostrã & ciuitatem, super quam inuocatum est nomen tuum , super te onus meũ posui, & super nomen tuum Domine inuocaui,non enim in iustitijs nostris prosternimus præces nostras coram te Domine, sed in miserationibus tuis multis Domine in omni misericordia auertatur obsecro furor tuus,& ira tua a ciuitate tua Ierusalem monte sancto tuo. Exaudi Do-
2. mine, parce Domine, attende Domine & fac ne tardaueris propter temetipsum Domine Deus, quia nomen tuum sanctum inuocatũ est super ciuitatẽ tuam & super populum tuum quia sapientia & intellectus, & fortitudo Domini Dei nostri est, ipse mutat tempera,& ætates constituit reges & transfert Deus

Dat

Dat sapientiam sapientibus, & prudentiam scientibus. Ipse reuelat profunda & abscondita, sciens quæ in tenebris, nam ille lumen est, & eius lumen æternum. Tibi enim Deus patrum meorum confiteor, & te laudo qui sapientiam, fortitudinem, & virtutem dedisti timentibus te, sicut olim patribus nostris, dedisti Abraham misericordiam, & Iacob veritatem tuã. Tibi honor laus virtus & gloria per omne seculum. Amen.

Oratio Ionæ de ventre piscis.

CLamaui in afflictione mea ad Dominum Deum meum, & exaudiuit me de ventre inferi, clamaui & exaudisti vocem meam Domine, proiecisti me in profundum cordis, maris & flumina circumdederũt, me Omnes vndæ tuæ & fluctus tui super me transierunt, proiectus sum e conspectu oculorum tuorum. Ego autem in voce laudis, & confessionis immolabo tibi Domine Deus, & quod voui reddam tibi, cum deficeret anima mea in me, tui O Domine recordatus sum, & veniet o- *Ionæ. 2.*

ratio mea ad templum ſanctum tuum, quia noui quod tu es Deus clemens & miſericors, longanimus, & multæ miſericordiæ, & pœnitens ſuper malo, Quis Deus ſicut tu, qui aufers iniquitatem, & tollis peccata, pœnitentium, tu miſericordiam & non iuſtitiam vis, furor tuus non manet in æternum Domine Deus, demerges mala noſtra, & in profundum maris omnia peccata noſtra proiecientur. Mundus oculis es tu Domine Deus, vt non videas malum, prauitatem ferre non poteris. O Domine Deus audiui & timui conſideraui opera tua, & obſtupui, eo quod in Domino exaltabo & in Deo ſalutari meo lætabor.

Oratio Abacuc prophetæ pro ignorantiis. 3. Cap.

DOmine audiui auditioné & timui Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, in medio annorum notum facies, cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis, Deus ab auſtro veniet, ſanctus de monte Pharai, operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra Spendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abſcondita

eſt

est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, stetit, & mensus est terram: aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi, incuruati sunt colles mundi ab iteneribus æternitatis eius, nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua, qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio Suscitans suscitabis Domine arcum tuum, iuramenta tribubus quæ loquutus es: fluuios scindes terræ. Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ o Domine Deus in fremitu conculcabis terram, & in furore tuo obstupefacies gentes. Egressus es in salutem populi tui Domine, in salutem cum Christo tuo percussisti caput de domo impij, deundasti fundamentum eius vsque ad collum, maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius venientibus vt turbo ad dispergendum me, exultatio eorum, sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito viam fecisti Domine in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Audiui, & conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea, Domine Deus ingre-

diatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctũ nostrum, ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non adferent cibum, ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo meo, saluator Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos, quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

Oratio prophetæ Eliæ aduersus Prophetas Baal.

DOmine Deus Abraham, Isaac, & Israel, hodie cognoscat omnis populus, quia tu es solus Dominus Deus Israel, & ego seruus tuus in verbo tuo feci omnia hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, & cognoscat populus iste, quod tu es Dominus Deus, & tu conuertisti retrorsum, & obsecro Domine Deus meus reuertatur anima filij viduæ apud quam sustentor in viscera eius, nunc Domine Deus sufficiat, tolle iam animam meam a me, non enim melior sum patribus meis.

Optat mortem.

Oratio

Oratio Nehemiæ pro populo & pro se.

QVæso Domine Deus cœli, fortis, 1
magne, atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cũ his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua: fiant aures tuæ auscultantes, & oculi aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro corã te hodie, nocte & die pro filijs Israel, & cõfiteor pro peccatis filiorum Israel, qui peccauerunt tibi, & ego & domus patris mei peccauimus, vanitate seducti sumus & non custodiuimus mandata tua, & ceremonias, & iudicia quæ præcipisti Moysi famulo tuo. Obsecro Domine sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum, & dirige seruum tuũ hodie: & da ei misericordiam ante virum hunc, ego enim pincerna regis. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui conuerte opprobrium super caput eorũ, & da eos in despectionem in terra captiuitatis, ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes. Tu

ipſe Dominus, ſolus tu feciſti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorũ, terram & vniuerſa quæ in ea ſunt, maria & omnia quæ in eis ſunt: & tu viuificas omnia hæc & exercitus cœli te adorant, tu ipſe Domine Deus qui elegiſti Abram & eduxiſti eũ de igne Chaldæorum, & poſuiſti nomen eius Abrahã, & inueniſti cor eius fidele coram te, & percuſſiſti cum eo fœdus vt dares ei, & ſemini eius terram Chananæi, & impleuiſti verba tua quoniam iuſtus es & vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto, clamoremq; eorum audiſti ſuper mare rubrum, & mare diuidiſti ante eos, & tranſierunt per mediũ maris in ſicco: perſequutores autem eorum proieciſti in profundũ, quaſi lapidem in aquas validas, & in columna nubis ductor eorum fuiſti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via per quam ingrediebantur, & ſabbatum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, & mandata, & ceremonias, & legem veritatis, & iudicia recta, dediſti eis panem de cœlo, & aquam de petra eduxiſti eis, & ſpiritũ tuum bonum dediſti, qui doceret eos & manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum, quadraginta annis in deſerto eos pauiſti, & nihil

nihil eis defuit, dedisti eis regna, & populos, & multiplicasti filios eorum sicut stellas cœli, & humiliasti coram eis habitatores Chananæos, & dedisti eos & reges eorum, & populos terræ in manu eorum, vt facerent eis sicut placebat illis. At illi indurauerunt ceruices suas, & noluerũt audire, nec sunt recordati mirabilium tuorum, quæ tu Domine Deus feceras eis, sibi vitulum conflatilem fecerunt & dixerunt, iste est Deus tuus qui eduxit te de Ægypto, tu tamen in misericordijs tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos, quoniam Deus miserationum & clemens es tu. Nunc itaque Deus noster magne, fortis & terribilis, custodiens pactum & misericordiam, ne auertas a facie tua omnem laborẽ qui inuenit nos, tu iustus es in omnibus quæ venerunt super nos, quia veritatem fecisti nobis, nos autem impie egimus ô Domine Deus, licet cum filijs Israel impleti & pinguati sumus multa bonitate tua Domine, verba tua tamen non audiuimus, præcepta tua non seruauimus, legem tuam Domine contempsimus, & post tergum nostrum proiecimus. Sed quoties ad te pater cælestis penitætia ducti venimus, tu non recordaris vltra iniqui-

iniquitatis nostræ, secundum miserationes tuas multas. Nunc oro te Deus meus Deus magne, fortis, & potens, ne sinas me cum populo tuo confundi, & dedecore affici propter nomen tuum. Amen.

Oratio Esdræ pro peccatis populi.

Esd. 9. DEus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsq; ad cœlum a diebus patrum nostrorum. Sed & nosipsi peccauimus grauiter vsque ad diem hanc, & iniquitatibus traditi sumus ipsi, & reges nostri, & sacerdotes nostri in manū regum terrarū, & in gladiū, & in captiuitatē, & in rapinam, & in confusionem vultus, sicut & die hac. Et nunc quasi parum, & ad momentum facta est depræcatio nostra ad Dominum Deum nostrum, vt dimitterentur nobis reliquiæ & daretur nobis pax illius in loco sancto eius, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra, quia serui sumus, & in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster, & inclinauit super nos misericor-

diam

diam coram rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Domini Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret spem nobis in Iuda, & Ierusalem. Et nunc Domine Deus quid dicemus, quia dereliquimus mandata tua, quæ præcepisti in manu seruorum tuorum Prophetarum, dicens, terra ad quam vos ingredimini vt possideatis eam, terra immunda est iuxta immunditiam populorum, cæterarumq; terrarum, abominationibus eorum, qui repleuerunt eam ab ore vsq; ad os in coinquinatione sua, nunc ergo filias eorum ne accipiatis filijs vestris, & non quæratis pacem eorũ, & prosperitatem eorum vsque in æternũ vt confortemini, & comedatis quæ bona sunt terræ, & hærēdes habeatis filios vestros vsque in seculum. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto nostro magno tu es Deus noster, liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem, sicut est hodie vt non reuerteremur & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonio iungeremur cum populis abominationũ istarum. Num quid iratus es nobis vsq; ad consumationem Domine, ne dimitteres nobis reliquias ad salutem

Domine

Domine Deus Israel iustus es tu: quoniam derelicti sumus qui saluaremur sicut die hoc. Ecce Domine Deus coram te sumus in delicto nostro. Non enim stari potest coram te super hoc.

Oratio Iob in Angustijs suis.

Iob. 1. PEccaui Domine quid faciam tibi o custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis, cur non tollis peccata mea Domine, & quare non aufers iniquitatem meam? Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo meo, noli me condemnare: iudica mihi, cur me ita iudices, nunquid bonum tibi videtur Domine si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, vt quid quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scribis, cum nemo sit qui se de manu tua eruere possit. Manus tuæ fecerunt me Domine Deus, & plasmauerunt me totum in circuitu & sic repente præcipitas me. Memento quæso, sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me, nóne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagu-

coagulaſti? pelle & carne veſtiſti me,oſ-
ſibus & neruis compegiſti,vitam & mi-
ſericordiam tribuiſti mihi,& viſitatio tua
cuſtodiuit ſpiritum meum, licet hæc o
Domine abſcondis in corde tuo, tamen
ſcio quia vniuerſorum memineris. Si
peccaui & ad horam peperciſti mihi,cur
ab iniquitate mea mundum me eſſe non
pateris. O Domine Deus ſi impius fue-
ro, væ mihi, & ſi iuſtus, non leuabo ca-
put, ſaturatus ſum afflictione & miſeria,
Quare de vulua me eduxiſti,& non mor-
tuus ſum, fuiſſẽ quaſi non eſſem de vtero
tranſlatus ad tumulum. Quãobrem ego
deprecabor Dominum, & Deum ponam
eloquium meum, qui facit magna & mi-
rabilia, qui dat pluuiam ſuper faciem
terræ, & irrigat aquis vniuerſa, qui po-
nit humiles in ſublime, & mærentes eri-
git ſoſpitate. Tu Deus diſſipas. cogita-
tiones malignorum ne poſſint implere
manus eorum, & concilium prauorum
diſſipas. Tu ſaluum facies egenum a
gladio eorum, & de manu violenti pau-
perem.. O Deus cuius iræ nemo reſiſte-
re poteſt, & ſub quo curuantur qui por-
tant orbem, qui præcipit ſoli & non ori-
tur, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo,
ſcio o Deus quod non iuſtificetur homo

co-

coram te, manum tuam Domine longe
fac a me, & formido tua non me terreat
quantes habeo iniquitates & peccata,
scelera mea & delicta ostende mihi, cur
faciem tuam abscondis a me, & arbitra-
ris me inimicum tuum, contra folium
13. quod vento rapitur ostendis potentiam
tuam Domine, & stipulam siccam persc-
queris, scribis enim contra me Deus me-
us amaritudines omnes, & consumere
me vis peccatis adolescentiæ meæ, posu-
isti neruo pedem meum, & obseruasti se-
mitas meas, & vestigia pedum meorum
consyderasti. O Deus meus vocabis me
& ego respondebo tibi: Operi manuum
tuarum porrige dexteram, libera me &
pone me iuxta te, & cuiusuis manus pug-
net contra me, Quis potest facere mun-
dum de immundo conceptum semine?
nonne tu qui solus es? verebar enim om-
nia opera mea, sciens, quod tu Deus non
parces delinquenti, omnia potes, &
nulla te latet cogitatio. Scio quod re-
19. demptor meus viuit, & in nouissimo die
e terra surrecturus sum, & rursum circú-
dabor pelle mea, & in carne mea vide-
bo te Deum meum, quem visurus sum e-
go ipse, & oculi mei conspecturi sunt;
hæc spes O Domine Deus reposita est in
sinu

sinu meo Scio Deus meus quod nudus egressus sum de vtero matris meæ,& nudus reuertar illic,Dominus dedit,Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est,Sit nomen Domini benedictum. Amen.

Oratio Sacerdotum pro plebe a gentibus oppressa.

O Domine Deus omnium creator terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus Rex,solus præstans, solus iustus & omnipotens, & æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos, accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo Israel, & custodi partem tuam & sanctifica. Congrega dispersionem nostram, libera eos qui seruiunt gentibus,& cõtemptos & abominatos respice, vt sciant gentes quia tu es Deus noster. Afflige opprimentes nos Domine Deus, & contumeliam facientes in superbia, constitue populum tuum in loco sancto tuo. Tu Deus noster elegisti domum istam ad inuocandum nomen tuum in ea, vt esset domus orationis & obsecrationis populo tuo fac vin-

2.Mac 1.

vindictam in homine isto, & exercitu eius, & cadant in gladio, memento Domine blasphemias eorum, & ne dederis eis vt permaneant. Amen.

Oratio 9. ex Psalmis.



Iserere mei Deus quoniam conculcat me inimicus, sine intermissione oppugnans contra me.

Absorbere me cupit omni tempore: & multi sunt, qui mihi superbe insultant.

Abstrudunt se, vt vestigia mea latenter obseruent, quo modo animam meam capiant.

Deus meus es tu, quæram te mane, quoniam est pietas tua vita ipsa, labia mea laudabunt te.

Sitiuit te anima mea, concupiscit te caro mea, benedicam tibi in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.

Adhæsit anima mea tibi, me sustentauit dextera tua, ideo sub alis tuis exultans cantabo.

Beatus vir qui timet te Dominum, & qui ambulat in vijs eius.

Potens

Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Opes & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in seculum.

Ortum est in tenebris lumen rectis: homini qui est clemens, & misericors, & iustus.

Quoniam in æternum non mouebitur & in perpetua memoria erit iustus.

Ab auditione mala non timebit: paratum cor eius sperare in Domino.

Confirmatum est cor eius, & non commouebitur: donec viderit vltionem in aduersarijs suis.

Dispersit, dedit pauperibus, & iustitia eius manet in seculum: cornu eius exaltabitur in gloria.

Impius videbit & indignabitur, dentibus suis frendet, & contabescet: desiderium peccatorum peribit.

Laudate Dominum omnes incolæ terræ: laudem dicite nomini sancto eius.

Ab ortu solis vsq; ad occasum laudetur nomen Domini: nam excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra.

Ipſe erigit de puluere egenum, & de ſtercore ſublimat pauperem.

Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui ſterilem habitare facit in domo matrem filiorum lætantem.

Pſa. 116. En ego Domine Deus ſeruus tuus ſum, ego ſeruus & filius ancillæ tuæ ſũ, Tu Deus ſoluiſti vincula mea.

Tibi o Deus ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciet mihi homo.

Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.

Melius eſt ſperare in Domino, quam in homine: melius eſt ſperare in Domino, quam confidere in principibus.

Omnes gentes circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Pſa. 117. Circundederunt me ſicut Apes: & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis · & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Dextera

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.


Confitebor tibi Domine Deus, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

O Domine ſaluum me fac, fer nunc ſalutem obſecro Domine, & fac nunc proſpere & pie viuam.

Benedictus qui venit in nomine Domini, ſit nomen Domini benedictum in æternum.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus, te exaltabo & omnis ſpiritus laudet nomen tuum.

Oratio 10. ex Pſalmis.



Bſconde me Domine Deus, a conuentu malignātium: libera me a tumultu iniquitatem operātiū. Pſa. 11.

Cuſtodi me Deus meus, ab inimicis meis, ſub vmbra alarum tuarum protege me.

Accinge me fortitudine ad prælium, proſterne inſurgentes in me ſubtus me.

Concide ante faciē meā hoſtes meos: & odio me habentes diſperde pugna cōtra oppugnatores meos.

Mira-

Mirabilem fac in me misericordiam tuam, & eripe animam meam de manibus inimicorum.

Afflictus sum vsque ad saturitatem Domine, adiuua me o Deus propter insidiatores meos.

In defectione mea lætantur, collecti sunt aduersum me, sed tu Domine salua me.

Omni die verba execrantur contra me, vniuersæ cogitationes eorum in malum.

Anima mea quasi in medio leonum ferocientium, quorum dentes velut lanceæ, & lingua vt acutus gladius.

Et quis stabit pro me aduersus omnes istos, nisi tu Deus meus, aut quis expugnabit operantes iniquitatem, nisi Dominus?

Ab increpatione tua Domine fugient, a voce tonitrui tui præcipites ruent.

A facie tua iudicium prodit, oculi tui æquitatem probant.

Confringe eos, vt non possint cõsistere, ne cesses Domine donec eos deleueris.

Sint viæ eorum lubricæ ac obscuræ, & angelus tuus eos vrgeat,

Et tu Domine Deus miserere mei, opẽ mihi ferto, & resistam eis.

Ego

Ego enim infirmus ſum & dolens, & ſalus tua me ſuſcipiat.

Corriget & caſtiget me dextera tua domine, inimicis autē meis ne me tradas.

Mulum repleta eſt anima mea, & deriſione me infeſtantium, & contemptu ſuperborum.

Deiecta eſt in me anima mea, aduerſū me fremit, ſed ego ſperabo in te Deus, quoniam iterum pro ſalute mea redeta, gratias agam tibi,

Propter veritatem tuam Domine adiuua me, in te fortis ero, & ſecurus in ſeculum ſeculi.

Tu liberabis me Domine de laqueo venantium, & apericulis perſequentium tu ſalus mea.

Laudibus te celebrabo, Domine Deus, quoniam exaltaſti me, & non præualuerunt inimici mei ſuper me.

Extraxiſti ab inferis animam meam, tenuiſti me, ne ruerem in profundum lacum, vnde nullus eſt reditus.

Tu conſolatus es me in tempore malo, Deus tu propitius mih i fuiſti, & vltus es iniuriam inimicorum meorum.

Pro multudine cogitationum mearum intra me, conſolationes tua Domine lætificauerunt animam meam.

In nomine tuo Domine Deus exultabo ſemper, & in miſericordia tua, omnis mea gloria.

Te laudabo carminis meis publice in frequentia populi, & quæ voui, perſoluam, videntibus illis, qui reuerentur te.

Commemorabo maieſtatem nominis tui fratribus meis, in frequentiſsima populi turba, laudes tuas Domine prædicabo.

Comedent pauperes, & ſaturabuntur, laudabunt dominum, quicunque ſtudent placere illi.

Conſiderabunt hæc, & conuertentur ad Dominum cuncti fines terræ, & ſupplices fient tibi Domine vniuerſæ nationes gentium.

Quare Domine Deus, ne longe abſceſſeris a me, quin potius quum ſis fortitudo mea, ferre mihi ſuppetias feſtina.

Salua me ab ore leonis, & eripe a gladio animam meam, omni humano auxilio deſtitutam.


Vt & illi venient, annuncient populo qui ab ipſis naſcetur, quod hæc fecerit tam ſtupenda Dominus.

Colite ergo Dominum cum lætitia, venite in conſpectum ipſius cum exultatione & laudate nomen Domini.

Be-

Benignus enim est Dominus, & infinitæ misericordiæ, & in seruandis promissis constantissimus, gloria & decus sit Deo nostro per infinita secula.

Oratio II. ex Psalmis.



Enite cantemus Domino iubilemus fortissimo Domino salutis nostræ.

Præueniamus faciem eius in confessione, & in hymnis iubilemus Deo salutari nostro.

Quoniam Deus magnus est Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.

In cuius manu sunt penetralia terræ, & celsitudines montium ipsius sunt.

Illius est mare, & ipse Dominus fecit illud, & aridam formauerunt manus eius.

Venite adoremus & procidamus, atq; genu flectamus coram Domino factore nostro.

Quoniam ipse est Deus noster, nos autem populus pascuæ eius, & oues manus eius.

Sperate in Deo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra,

adiutor Deus noster in æternum.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.


Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Oratio 12. ex Psalmis.



Deus æterne, & absconditorũ cognitor qui omnia noueris prius quã fiunt.

Aperi labia mea Deus meus, & os meũ, vt nuntiẽ laudes nomini tuo.

Inclina aurem tuam Domine, & exaudi me, ostende Domine pietatẽ tuã mihi.

Custodi animam meam Domine, & salua

salua seruum tuum sperantem in te.

Doce me Domine viam tuam, & constringe cor meum, vt timeat nomen tuum.

Miserere mei Deus meus, quoniam ad te clamabo.

Lætifica animam serui tui, quoniam te Dominum Deum inuoco.

Ausculta Domine orationi meæ, & in die afflictionis intende voci præcationis meæ.

Respice ad me, & miserere mei, da robur tuum seruo tuo, & saluum fac Domine filium ancillæ tuæ.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in perpetuum.

Et confitebuntur cœli miraculum tuum Domine, & veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

Tui sunt cœli, tua etiam est terra, orbem & plenitudinem eius tu Domine fundasti. *Psal. 86*

Iustitia & iudiciũ sunt habitaculum solij tui: Domine pietas & veritas præcedent faciem tuam.

O Domine Deus exaudi orationem meam, & ausculta deprecationi meæ.

Et non intres in iudiciũ cũ seruo tuo: quo-

quoniam non iustus erit coram te vllus viuens.

Propter nomen tuum Domine viuificabis me: & in iustitia tua educes de tribulatione animam meam.

Fac vt mane audiam pietatem tuam, quoniam in te speraui.

Ostende mihi Domine Deus viam tuam in qua ambulem, quoniam ad te leuaui animam meam.

Expandi manus meas ad te: & anima mea sicut terra sitiens anhelat ad te.

Festina & exaudi me Deus meus, defecit spiritus meus, non abscondas faciẽ tuam a me.

Domine inclina cœlos tuos & discende, tange montes & fumigabunt.

Magnus est Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non est inuestigatio.

Psal. 145. Generatio generationi collaudabit opera tua, & potentias tuas annunciabunt.

Memoriam excellentis bonitatis tuæ Domine effabuntur, & iustitiam tuam prædicabunt.

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam Domine loquentur.

Laudem Domini loquetur os meũ, & bene-

benedicet omnis caro nomini sancto eius.

Te exaltabo Deus meus & rex meus, & benedicam nomini tuo in seculum.

Decorem gloriam, & magnificentiam tuam, atque gesta tua mirabilia meditabor.

Prope adest Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus qui eum inuocauerint in veritate.

Voluntatem timentiũ se faciet, & clamorem corũ exaudiet atq; saluabit eos.

Iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & pius in cunctis operibus suis.

Beatus cuius auxilium est Deus Iacob, & cuius spes est apud Dominum Deum suum.

Oratio Baruc quam praescripsit captiuis in Babylone.



ET nunc Domine omnipotens Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus auxius clamat ad te. Audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri: quia peccauimus ante te: Quia tu sedes in sempiternum, &

non peribimus in æuum. Domine omnipotens Deus Israel audi nunc orationē mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt nobis mala, noli Domine Deus meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore isto, Quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine, quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, vt inuocemus nomen tuum, & laudemus te in captiuitate nostra, quia conuertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccauerunt ante te Deus noster. Et ecce Domine nos in captiuitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, & in maledictum, & in peccatum, secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui discesserunt a te Domine Deus noster, auertatur ira tua a nobis
2. Domine, quia relicti sumus pauci inter gentes, vbi dispersisti nos: exaudi Domine præces nostras, & orationem nostram & educ nos propter te, & da nobis inuenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt, vt sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, & quia nomen

tuum

tuum inuocatũ est super Israel: Respice Domine de domo sancta in nos,& inclina aurem tuam,& exaudi nos. Aperi oculos tuos & vide quia non mortui qui sunt in inferno, quorũ spiritus acceptus est a visceribus suis,dabunt honorẽ & iustificationem Domino: sed anima quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & iustitiam Domino, quia non secundũ iustitias patrum nostrorũ nos fundimus præces, & petimus misericordiam ante conspectũ tuũ Domine Deus noster, sed quia misisti iram tuã, & furorem tuũ super nos,peccauimus Domine,impie egimus,inique gessimus in omnibus iustitijs tuis,& non audiuimus vocẽ tuam, vt iremus in præceptis Domini,quæ dedit ante faciem nostram, & non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, vt reuertemur a viis nostris pessimis. Sed o Domine Deus fac nunc nobis secundum omnem bonitatem tuam, & secundum magnam tuam miserationem, auerte irã tuam a nobis,& dele peccata nostra, tibi Domino Deo nostro iustitia & misericordia, nobis pudor & confusio faciei nostræ.

Oratio Tobiæ ſenioris qua benedixit Dominum in fine vitæ ſuæ.

Tobiæ 3.

MAgnus es Domine in æternũ, & in omnia ſecula regnum tuũ quoniam tu flagellas & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis: & non eſt qui effugiat manum tuam Domine. Confitemini Domino filij Iſrael, & in conſpectu gentium laudate eum, quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum. Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam. Aſpicite ergo quæ fecit nobiſcum, & cum timore & tremore confitemini illi: regemque ſeculorum exaltate in operibus veſtris, Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem. Conuertemini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiſcum miſericordiam ſuam, Ego autem, & anima mea lætabimur in Deo ſalutari meo. Benedicite Dominum omnes electi

cti eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi: Ieruſalem ciuitas Dei caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum. O Domine, Deus patrum noſtrorum, benedicant te cœli & terræ, mareq; & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, & quæ in eis ſunt, feciſti nobis miſericordiam tuam, & excluſiſti a nobis inimicum perſequentem nos, iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt: & omnes viæ tuæ, miſericordia, veritas & iudicium. Et nunc Domine Deus memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea. Quoniam non obediuimus præceptis tuis Domine, ideo traditi ſumus in direptionem & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus in quibus nos diſperſit Deus, Et nunc Domine Deus magna iudicia tua, & non delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem, tranquillum facis, & poſt lachrimas & fletus lætetiã nobis infundis, fac nunc Domine Deus mecum ſecundum voluntatem tuam, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum, ad te Deus faciem meã conuerto, ad te oculos meos dirigo, benedictum ſit nomen tuum Do-

mine Deus qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his qui inuocant nomen sanctum tuum.

Oratio Iesu Filij Sirach.

CONfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum, confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti me Domine a perditione, A laqueo linguæ iniquæ, & a labijs operantiũ mendacium, & in conspectũ astantium factus es mihi adiutor o Domine Deus. Tu liberasti me Deus secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circundederunt me, tu Deus meus mea pressura flammæ quæ circumdedit me erupuisti, & in medio ignis non sum æstuatus, de altitudine ventris inferi, & a lingua coinquinata & iniusta, a verbo mendacij & a rege iniquo me saluasti Domine, ideo te Dominum Deum meũ laudabit anima mea vsque ad mortem, memoratus sum misericordiæ tuæ Domine

mine, & operationis tuæ quæ a secula sunt, quoniam tu eruis sustinétes te Domine, & liberas eos de manibus gentiū; Exaltasti super terram habitationé meam, & pro morte defluente deprecatus sum. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio, laudabo nomé tuum Domine assidue, & collaudabo illud in cōfessione, & audita est oratio mea, tu Deus me liberasti de perditione, & eruisti me de tempore iniquo, propterea cōfitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini. Lætatum est cor meum in Domino, ambulet pes meus iter rectum, & inuestigabo Deum meum in omni vita mea, Manus meas extendi in altum, & in sapientia eius luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit, dedit enim mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum, danti mihi sapientiam dabo gloriā, lætetur anima mea in misericordia Dei mei & non confundor in laude ipsius. O Domine Deus meus, tu altissimus, creator omnium, omnipotens & rex potens & metuendus nimis, sedens super thronum tuum, & dominans vniuersis.

Ora-

Oratio Azariæ ab igne intacti.

Daniel. 3. BEnedictus es Domine Deus patrũ nostrorum, & laudabile & gloriosum nomen tuum in secula, quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera, Iudicia vera fecisti iuxta omnia, quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam Ierusalem, quia in veritate & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra, peccauimus enim, inique fecimus recedentes a te Deo nostro, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua nõ audiuimus, nec seruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, vt bene nobis esset, omnia quæ fecisti nobis Domine in vero iudicio fecisti, & tradidisti nos in manibus inimicorum, & regi iniusto & pessimo vltra omnem terram, Et nunc Deus noster non possumus aperire os nostrũ, confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & qui colebant te. O Domine Deus ne tradas nos quæsumus in perpetuum inimicis nostris propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuã ano-

à nobis propter Abraham dilectum tu-
um, & Isaac seruum tuum, & propter I-
srael sanctum tuum, quibus loquutus es
pollicens quod multiplicares semen eo-
rum sicut stellas cœli, & sicut arenã quæ
est in littore maris, quia imminuti su-
mus Domine Deus plus quam omnes
gentes, sumusq; humiles in vniuersa ter-
ra hodie propter peccata nostra. Et non
est in tempore hoc princeps & dux, &
propheta, neque holocaustum, neque sa-
crificium, neque oblatio, neq; incensum
neque locus primitiarum coram te: vt
possimus inuenire misericordiam tuam:
sed in animo contrito & spiritu humilia-
to suscipiamur, sicut in holacausto ari-
etum & taurorum, & sicut in millibus ag-
norum pinguium: sic fiat sacrificium no-
strum Domine Deus in conspectu tuo
hodie vt placeat tibi, quoniam non est
confusio confidentibus in te, Et nũc De-
us sequimur te in toto corde, & timemus
te, & querimus faciem tuam. Ne confun-
das nos Domine, sed fac nobiscum secũ-
dum mansuetudinem tuam, & secundũ
multitudinem misericordiæ tuæ, & erue
nos in mirabilibus tuis, & da gloriam no-
mini tuo Domine, & confundantur om-
nes qui ostendunt seruis tuis mala, con-
fundan-

confundantur in omnipotentia tua, & robur eorum conteratur: & sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terræ, benedicat Israel Dominum, laudet & super exaltet eum in secula, & benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum & laudabile, & superexaltatum in omnibus seculis, benedictus es in téplo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis & supergloriosus in secula, benedictus es in throno regni tui, benedictus es qui intueris abyssos, & sedes super cherubin, & benedictus es Deus in firmamēto cœli, benedictus es Domine, Domine Deus patrum nostrorum & laudabilis, & gloriosus & super exaltatus es in secula & nos benedicimus tibi. Anania Azaria & misael, laudamus & superexaltamus te in secula, qui eruisti nos de inferno, & saluos fecisti de manu mortis. Tu Domine Deus noster liberastinos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eripuisti nos, confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius, omnis spiritus laudet Dominum, Amen.

Oratio Mardochei in Aman pro gente sua.

DOmine rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & nō est qui possit tuæ resistere voluntati si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ, cuncta nosti Domine Deus, & scis quia non pro superbia, contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc vt nō adorarem Aman superbissimum. libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarē excepto Deo meo. Et nunc Domine rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere & hæreditatem tuā Deus noster delere. O Deus Dominus rex ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto, exaudi depræcationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes. laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium. Esther. 13.

Oratio

Oratio Eleazari ad suppli-
cium ducti.

2.Mach.6. DOmine Deus qui habes sancti scientiam manifeste tu scis, quia cum a morte possum liberari: duros corporis sustineo dolores secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.

Oratio Machabei cum esset cum
hostibus concertandum. 4.

Machab.9. BEnedictus est saluator Israel, qui contriuisti impetũ potentis in manu serui tui Dauid,& tradidisti castra alinigenarũ in manu Ionathæ filij Saul & armigeri eius. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, & confundatur in exercitu suo & equitibus, da Domine Deus illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione sua. Deijce illos Deus gladio diligentium te, & collaudent te omnes qui nouerunt nomen tuum in hymnis.

Oratio

Oratio Iudæorum aduersus Holofernum.

DOminus Deus cœli & terræ, intuere superbiam eorum qui te odiunt, & respice ad nostrã humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & ostende Deus noster quoniam non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias. O Domine Deus peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu Deus quia pius es miserere nostri, Aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo qui te ignorat, vt non dicant inter gentes, vbi est Deus eorum.

Iudith. Cap. 6. — 7.

Solennis Oratio Leuitarum & Ecclesiæ.


TV ipse Domine solus, tu fecisti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terrã & vniuersa quæ in eis sunt, maria & omnia quæ in ei sunt: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat. Tu ipse Domine Deus qui elegisti Abra-

2. Ester. 9.

Abrahā & inuenisti cor eius fidele corā te, & percussisti cū eo fœdus & implesti omnia,quoniā tu iustus es.Ipsi vero & patres nostri superbe egerunt & indurauerunt ceruices suas, & nō audierunt mandata tua,& noluerunt audire,& non sunt recordati mirabiliū tuorū quæ feceras eis .Tu autē Deus propitius,clemēs,& misericors,longanimus & multæ miserationis nō dereliquisti eos, & cū fecissent sibi vitulū conflatilē & dixissent:Iste est Deus noster qui eduxit nos de Ægypto , feceruntq; blasphemias magnas: Tu autē in misericordijs tuis multis nō dimisisti eos, in deserto columnia nubis nō recessit ab eis per diē , & columnia ignis per noctē, vt duceret eos in viā per quā ingrederentur, & spiritū tuū bonū dedisti , & manna tuū non prohibuisti ab ore eorū quadraginta annis,pauisti eos in deserto nihilq; defuit eis, dedisti eis regna & populos, multiplicasti filios eorū sicut stellas cœli & humiliasti coram eis omnes habitatores terræ, & dedisti in manus eorū reges & populos terræ , saturati impinguati & abūdauerūt delitijs in bonitate tua magna.Te tamen ad iracundiā prouocauerūt & recesserunt a te,proijcerunt legē tuam post terga sua & prophetas tuas occiderunt

runt,& dedisti eos in manus hostiũ suorũ & afflixerunt eos,& in tẽpore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audisti, & secũdũ miserationes tuas multas dedisti eis saluatores,qui saluarent eos de manu hostiũ suorum,in misericordijs tuis plurimis,nõ fecisti eos in cõsũptionem nec dereliquisti eos, quoniã Deus miserationũ,& clemens es tu, & tu iustus es,ecce nosipsi hodie serui sumus, & terra quam dedisti patribus nostris, vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nosipsi serui sumus in ea, & fruges eius multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra,& corporibus nostris dominantur,& iumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus Domine Deus.

Oratio 13. ex Psalmis.


D te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi seruorũ in manibus Dominorum suorum, sic oculi mei ad Dominũ Deum donec misereatur nostri.

Domi-

Dominus perficiet circa me pietatem suam: Domine pietas tua manet in æternum, opera manuum tuarum non deseres.

Psa.139. A tergo & a facie tu formasti me,& posuisti super me manum tuam.

Semitam meam & accubitum meum circundas Domine, & cunctas vias meas aduertis.

Scrutare me Deus, & cognosce cor meum, proba me & cognosce cogitationes meas.

Et vide Deus meus si est via peruersa in me, & duc me per viam sempiternam.

Psa.140. Erue me Domine ab homine malo, & a viro iniquitatum custodi me.

Psa.141. O Domine Deus clamaui ad te,propera ad me: ausculta voci meæ cum clamauero ad te.

Disponatur oratio mea velut incensum in conspectu tuo,& eleuatio manuũ mearum, fiat sicut sacrificium tibi.

Pone Domine custodiam ori meo, & serua ostium labiorum meorum.

Non inclines cor meum in rem mali Domine Deus, ne occuper operibus impietatis.

Tu es spes mea ne peream, & portio mea in terra viuentium.

Conf-

Confitebor tibi in toto corde meo, in conſpectu deorum Pſallam tibi. Pſa.138.

Adorabo corã templo ſanctitatis tuæ, & confitebor nomini tuo.

Leuabo oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram.

Auxilio ſit mihi manus tua, quoniam mandata tua elegi.

Deſideraui ſalutem tuam Domine, & lex tua oblectationes meæ ſunt.

Viuat anima mea & laudabit te, & iudicia tua mihi auxilio ſunt.

Perueniat clamor meus ante conſpectum tuum Domine, ſecundum verbum tuum da mihi intellectum.

Intret precatio mea ante conſpectum tuum Domine, iuxta eloquium tuum eripe me.

Eloquia mea aduerte Domine, intellige meditationem meam.

Auſculta voci clamoris mei, rex meus & Deus meus quoniam ad te orabo.

O Domine Deus mane exaudies vocem meam, mane ordinabo orationem meam ad te.

Exaudi me Deus iuſtitiæ meæ, miſerere mei & exaudi orationem meam.

Surge

Surge Domine, & salua me Deus meus, leua super me lucem vultus tui Domine.

Quoniam tu es Deus cui non placet impietas, neque morabitur apud te malum.

Ideo Domine Deus tu es protectio mea, tu es gloria mea, & exaltans caput meum.


E profundis inuocaui te Domine, Domine audi vocem meam.

Psal. 130. Sint aures tuæ Domine ad vocem deprecationum mearum.

Quia apud te propitiatio Domine Deus, & propter legem tuam sustinui te.

Expectaui Dominum, expectauit anima mea in Deo meo & in verbo eius fiduciam habeo.

Oratio 14. ex Psalmis.



Pera anima mea semper in Domino, quia apud Dominum est pietas, & copiosa apud eum redemptio.

Beatus qui timet Dominum, & qui ambulat in vijs eius.

Dominus custodiat me ab omni malo, custodiet

custodiet animam meam Dominus.
Dominus custos meus ad manum dexteram meam, vti Sol non feriet me per diem, neque Luna per noctem. Psa. 131.

Prope ades tu Domine ijs qui te diligunt, nam omnia mandata tua veritas.

Iustitia tua iustitia in æternum: & lex tua veritas.

Age cum seruo tuo pro tua benignitate, & doce me Deus meus statuta tua.

Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum Domine, vt sciam testimonia tua.

Vestigia mea dirige in verbo tuo, & non dominabitur mei vlla iniquitas.

Respice me & miserere mei Deus, faciem tuam illumina super me, & doce me statuta tua.

O Domine, Dominus noster quam magnificum est nomen tuum in vniuersa terra.

Dominus Deus in perpetuum manebit, & præparauit pro iudicio soliũ suum.

Ipse iudicabit orbem in iustitia, & iudicabit populos sententijs rectis.

Et erit Dominus oppresso in refugium, & non obliuiscitur clamoris pauperum.

Omnes

Omnes qui nouerunt nomen tuum Domine ſperabunt in te, quia non derelinques inquirentes te.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua caſtiges me. *Pſa.6.*

Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Conuertere Domine,& eripe animam meam,ſalua me Deus meus propter pietatem tuam.

Quoniam nõ eſt memoria tui in morte,& in fouea quis confitebitur tibi.

Deſiderium pauperum audiuiſti Domine,& tu Deus auſcultaſti vocibus eorum,

Dominus iuſtum probat: impium & diligentem iniquitatem odit anima eius.

Dominus lux mea & ſalus mea quem timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, a quo trepidabo? *Pſa.11.*

Audi Domine vocem meam,cum clamauero ad te miſerere mei & exaudi me.

Ne abſcondas a me faciem tuam Domine, neque auerſeris in ira ſeruum tuum.

Tu auxilium meum fuiſti, ne derelinquas me, neque deſeras me Deus ſalutis meæ.

Rem

Rem vnam a Domino petij, illam requiram, vt maneam in domo Domini cunctis diebus vitæ meæ, & visitem templum eius.

Doce me Domine viam tuam, & duc me per semitam rectam propter nomen sanctum tuum.

In te Domine speraui non confundar in æternum, in tua iustitia eripe me.

Inclina ad me aurem tuam Domine Deus, festina vt liberes me.

In manus tuas commendo spiritum meum, tu enim redemisti me Domine Deus veritatis.

In ira tua Domine non corripias me, aut in furore tuo castiges me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & demissa est super me manus tua.

Non est sanitas in carne mea propter iram tuam Domine, nec est pax ossibus meis propter peccatum meum.

Oratio 15. ex Psalmis.

DOmine Deus coram te est omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

Benedicam Domino in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.

Pſa.40. Tu Domine non continebis miſericordiam tuam a me: beneficentia & veritas tua cuſtodient me.

Lætentur & exultent in te omnes qui te quærunt, & dicant ſemper magnificetur Dominus.

Pſa. 43. Emitte lucem tuam Domine, quæ me conducat in montem ſanctũ tuum & in tabernacula tua.

Et ingrediar ad altare Dei mei, & confitebor tibi, qui eſt ſalus vultus mei & Deus meus.

Pſa. 45. Solium tuum O Deus manet in ſeculum, & in perpetuũ virga æquitatis tuæ.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti impietatẽ, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ.

Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

In generatione & generationẽ veritas tua domine, tu terrã firmaſti & conſiſtet.

Ego autem cantabo fortitudinem tuã, & laudabo mane pietatem tuam, quoniam refugium meum es tu.

Pſal 61. Et Pſallam nomini tuo in perpetuum, & reddam vota mea per ſingulos Dies.

CANTI-

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS,

quod Hebraice dicitur Sirhaſſirim.

CAP. I.

Hoc Canticum totum eſt myſticum Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam, ac rurſum ſponſæ erga Chriſtum, incomprehenſibilis amoris pleniſſimum.

ECCLESIA.

2 OSculetur me oſculo *Oſculis.*
oris ſui: quia melio-
ra ſunt hubera tua
vino.
3 Fragrantia vngu-
entis optimis: Ole-
um effuſum nomen tuum: ideo adoleſ-
centulæ dilexerunt te.
4 Trahe me: poſt te curremus in odo-
rem vnguentorum tuorum: introdu-
xit me rex in cellaria ſua: exultabimus
& lætabimus in te, memores huberum
tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.
5 Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſa-
lem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pel-

 les

les Salomonis.
6 Nolite me considerare, quod fusca
sim, quia decolorauit me sol, filii matris
meæ, pugnauerunt contra me, posuerunt
me custodem in vineis · vineam meam
non custodiui.
7 Indica mihi quem diligit anima mea
vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari
incipiam post greges sodalium tuorum.
8 CHR. Si ignoras te o pulcherrima
inter mulieres egredere, & abi post vestigia
gregum tuorum, & pasce hœdos tuos
iuxta tabernacula pastorum.
9 Equitatui meo in curribus Pharaonis
assimulaui te amica mea.
10 Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis:
collum tuum sicut monilia:
11 Murenulas aureas faciamus tibi,
vermiculatas argento.
12 EC. Dum esset rex in accubitu suo
nardus mea dedit odorem suum.
13 Fasciculus myrrhæ dilectus meus
mihi, inter vbera mea commorabitur.
14 Botrus cypri dilectus meus mihi, in
vineis Engaddi.
15 CH. Ecce tu pulchra es amica mea
ecce tu pulchra es, oculi tui columbarũ.
16 ECCL. Ecce tu pulcher es dilecte

mi, & decorus: lectulus noster floridus.
17 Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressima.

CAP. II. EC.

1 EGo flos campi, & lilium conualliũ.
2 CH. Sicut lilium inter spinas, sic
amica mea inter filias.
3 EC. Sicut malus inter ligna siluarum,
sic dilectus meus inter filios: sub vmbra
illius qué desideraueram, sedi: & fructus
eius dulcis gutturi meo.
4 Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.
5 Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.
6 Læua ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.
7 CH. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.
8 EC. Vos dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.
9 Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. en ipse stat post parietem nostrũ respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

10 En

Ec 10 En dilectus meus loquitur mihi surge,propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

11 Iam enim hyems transiit, imber abijt, & recessit.

12 Flores apparuerunt in terra nostra tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra.

13 Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum: surge, propera amica mea,speciosa mea & veni.

14 Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora.

15 Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas. Nam vinea nostra floruit.

16 Dilectus meus mihi,& ego illi; qui pascitur inter lilia.

17 Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloq; ceruorum super môtes Bethel.

Legendum Bether.

CAP. III. EC.

IN lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illũ, & non inueni.

2 Sur-

2 Surgam,& circuibo ciuitatem : per
vicos & plateas quæram quem diligit a-
nima mea, quæsiui illum, & non inueni.
3 Inuenerunt me vigiles, qui custo-
diunt ciuitatem, Nam quem diligit ani-
ma mea vidistis?
4 Paululum cum pertransissem eos,
inueni quem diligit anima mea,tenui e-
um, nec dimittam, donec introducam
illum in domum matris meæ, & in cubi-
culum genetricis meæ.
5 Adiuro vos filiæ Ierusalem per ca-
preas, seruosque camporum,nec suscite-
tis,neque euigilare faciatis dilectam,do-
nec ipsa velit.
6 *CH.* Quæ est ista quæ ascendit per
desertum, sicut virgula fumi ex aromati-
bus myrrhæ,& thuris, & vniuersi pulue-
ris pigmentarii?
7 En lectulum Salomonis saxaginta
fortes ambiunt ex fortissimis Israel.
8 Omnes tenentes gladios, & ad bel-
la doctissimi : vniuscuiusque ensis super
femur suum propter timores nocturnos.
9 Ferculum fecit sibi rex Salomon de
lignis Libani.
10 Columnas eius fecit argenteas,re-
clinatorium aureum,ascensum purpure-
um : media, charitate constrauit propter
filias

filias Ierusalem.

11 Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die disponsationis illius, & in die lætetiæ cordis eius.

CAP. IIII. CH.

1 QVam pulchra es: amica mea, quam pulchra es. Oculi tui, columbarum: absque eo quod intrinsecus latet: capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad.

2 Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

3 Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce: sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

4 Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5 Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.

6 Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad

ad collem thuris.
7 Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.
8 Veni de Libano sponsa mea, veni de
Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorũ.
9 Vulnerasti cor meum soror mea spõsa: vulnerasti cor meum in vno oculorũ tuorum, & in vno crine colli tui.
10 Quã pulchræ sunt mãmæ tuæ soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.
11 Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.
12 Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.
13 Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus cypri cum nardo.
14 Nardus & crocus, fistula, & cinnamonium cum vniuersis lignis Libani, & myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.
15 Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

16 Surge

16 Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meũ, & fluent aromata illius. *Et fluant.*
17 Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.

CAP. V. *CH.*

1 VEni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauũ cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo: cũmedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.
2 *EC.* Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis. *CH.* Aperi mihi soror mea, anima mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.
3 *EC.* Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?
4 Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.
5 Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

6 Pes-

6 Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, quæsiui, & non inueni illum vocaui, & non respondit mihi.

7 Inuenerunt me custodes qui circuierunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.

8 Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.

9 *ADOL.* Qualus est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

10 *EC.* Dilectus meus candidus & rubicunduselectus ex millibus.

11 Caput eius aurum optimum: comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.

12 Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.

13 Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentarijs: labia eius lilia distillantia myrrham primam.

14 Manus illius tornatiles aureæ, plena hyacynthis: venter eius eburneus, distin-

distinctus sapphiris.
15 Crura illius columnæ marmoriæ,
quæ fundatæ sunt super bases aureas:
species eius vt Libani, electus vt cedri.
16 Guttur illius suauissimum, & totus
desiderabilis: talis est dilectus meus, &
ipse est amicus meus filiæ Ierusalem.
17 *ADOL.* Quo abiit dilectus tuus o
pul-cherrima mulierum? quo declinauit
dilectus tuus, & quæremus eum tecum.

CAP. VI. *EC.*

1 Dilectus meus discendit in hortũ
suum ad areolam aromatum, vt
ibi pascatur in hortis, & lilia col-
ligat.
2 Ego dilecto meo, & dilectus meus mi-
hi, qui pascitur inter lilia.
3 *CHR.* Pulchra es amica mea, suauis
& decora sicut Ierusalem: terribilis vt
castrorum acies ordinata.
4 Auerte oculos tuos a me, quia ipsi
me auolare fecerunt.
Capilli tui sicut grex caprarum, quæ
apparuerunt de Galaad.
5 Dentes tui sicut greges ouium, quæ
ascenderunt de lauacro, omnes gemellis
fœtibus, & sterilis non est in eis.
6 Sicut cortex mali punici, sic genæ
tuæ

tuæ absque oculis tuis. Sexaginta sunt
reginæ, & octoginta concubinæ, & ado-
lescentulorum non est numerus.
8 Vna est columba mea, perfecta mea:
vna est matri suæ, electa genetrici suæ:
viderunt eam filiæ, & beatissimam præ-
dicauerunt: reginæ: & concubinæ, &
laudauerunt eam.
9 Quæ est ista quæ progreditur quasi
aurora consurgens, pulchra vt luna, ele-
cta vt sol terribilis vt castrorum acies or-
dinata.
10 *EC*. Descendi in hortum nucum, vt
viderem poma conuallium, & inspicerem
si floruisset vinea, & germinassent mala
punica.
11 Nesciui, anima mea conturbauit me
propter quadrigas Ami-nadab.
12 Reuertere, reuertere Sunamitis: re-
uertere, reuertere, vt intueamur te.
Quid videbis in Sunamite, nisi choros
castrorum.

CAP. VII. *PVEL.*

1 QVam pulchri sunt gressus tui in
calceamentis, filia principis
iuncturæ feminũ tuorum sunt
monilia, quæ fabricata sunt manu arti-
ficis.

2 Vm-

2 Vmbilicus tuus crater tornatilis; nunquam indigens poculis: venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.

3 Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

4 Collum tuum ſicut turris eburnea: oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis: naſus tuus ſicut turris libani, quæ reſpicit cótra Damaſcum.

5 Caput tuum vt carmelus: & comæ capitis tui, ſicut purpura regis iuncta canalibus.

6 Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis,

7 Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & hubera tua botris.

8 Dixi, aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui, ſicut odor malorum.

9 Guttur tuum ſicut vinum optimum dignum dilecto meo ad portandum, labiiſque, & dentibus illius ad ruminandū.

10 *E C.* Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.

11 Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12 Mane ſurgamus ad vineas, videamus

mus si floruit vinea, si flores fructus par-
turiunt, si floruerunt mala punica: ibi da-
bo tibi vbera mea.
13 Mandragoræ dederunt odorem: in
hortis nostris omnia poma: noua & vete-
ra, dilecte mi, seruaui tibi.

CAP. VIII. *EC.*

QVis mihi det te fratrem meum, su-
gentem hubera matris meæ, vt
inueniam te solum foris, & deos-
culer te, & iam me nemo despiciat?
2 Apprehendam te, & ducam in do-
mum matris meæ, & in cubiculum gene-
tricis meæ: ibi me docebis, & dabo tibi
poculum ex vino condito, & mustũ ma-
lorum granatorum meorum.
3 Læua eius sub capite meo, & dexte-
ra illius amplexabitur me.
4 Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne susci-
tetis, neque euigilare faciatis dilectum,
donec ipsa velit.
5 *ADOL.* (Quæ est ista quæ ascendit
de deserto, delicijs affluens, innixa super
dilectum suum?) sub arbore malo susci-
tauit te: ibi corrupta est mater tua, ibi vi-
olata est genitrix tua.
6 *CH.* Pone me vt signaculum super
cor tuum, vt signaculum super brachium
tuum:

tuum quia fortis est vt mors, dilectio: dura sicut infernus emulatio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eum.

8 *E C.* Soror nostra parua, & hubera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.

9 *ADOL.* Si murus est, ædificemus super eũ propugnacula argentea: si ostium est, cõpingamus illud tabulis cedrinis

10 *E C.* Ego murus, & hubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11 *CH.* Vinea fuit Pascifico, in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.

12 Vinea mea coram me est: mille tui Pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

13 Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.

14 *E C.* Fuge dilecte mi, & assimulare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

CAN-

Canticum Moysi.

AVdite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei Concrescat in pluuiā doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina, quia nomen Domini inuocabo: Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Peccauerunt illi gens parua & peruersa. Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut Aquila prouocans ad volandū pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum atq; portauit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Constituit eum super excelsam terrā vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo, butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum filiorū Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberent meracissimum. Incrassatus

Deut. 32.

crassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo saluatori suo. Prouocarũt eũ in Dijs alienis, & ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt Dæmonijs & non Deo, Dijs quos ignorabant, Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui, & ait Dominus: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum. Ignis est succensus in furore meo: & ardebit vsque ad inferni nouissima & deuorabit terram cum germine suo, & montium fundamenta cõburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis, consumẽtur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc. Gens absque concilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent ac nouissima

sima prouiderent: quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia, nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos,& Dominus conclusit illos? Nõ enim est Deus noster vt Dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: Vua eorum vua fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorũ, & venenum aspidum insanabile. Nonne hec condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta est dies, & adesse festinant tempora. Iudicabit Dominus populum suũ,& in seruis suis miserebitur: Videbit quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt residuiq; cõsumpti sunt, & dicet, vbi sunt Dij eorum in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego occidã, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est qui possit de manu mea eruere. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur

gur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & ijs qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis, laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorũ suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

Canticum Deboræ ob partam victoriam.

Iudith. 5. CVm incepistis duces in electione populi benedicite Domino: audite reges, auribus percipite satrapæ, Ego Domino cantabo, & Psallam Deo Israel. Domine Deus in exitu tuo de Seir, cum transires tu ex agro Edom, terra mota est, & cœlum turbatum est, etiam nubes stillauerunt aquam, montes commoti sunt a facie Domini. Iste Sinai tremunt a facie Domini Dei Israel. In diebus Sangar filij Anah, in diebus Iael reliquerunt vias & ambulauerunt semitas. Ambulauerunt itenera peruersa defecerunt habitantes in Israel,

rael, donec surgeret Debora, quoniam surrexit mater in Israel. Elegerunt Deos nouos, tunc pugnauerunt ciuitates principum, clypeus puellarum cum lanceis apparuit, & pugnauit quadraginta millibus in Israel. Cor meum super constituta Israel, potentes populi, benedicite Domino qui ostenditis super Asinos nitentes, sedentes in iudicio, & ambulantes in via, Cantate Domino, propter sonitum iaculantium sagittas inter loca vbi hauritur aqua, ibi doceant iustitiam, Domini iusti comfortati sunt in Israel, Tunc descendit in vrbes eius populus Domini, Surge, surge Debora, surge, surge, loquere cum cantu: surge Barac, & apprehende prædam tuam fili Abinerin tunc magnificata est fortitudo eius, populus Domini, Domine Deus humilia mihi fortiores me.

Annæ Samuelis matris Canticum.

EXultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo *1.Reg. 2.*
meo dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutori tuo, non est sanctus vt est Dominus

minus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarũ Dominus, & ipsi directa sunt opera, Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad infernum & reducit. Dominus mendicum facit & ditat, humiliat & exaltat. Suscitat de terra pauperem, & de stercore eleuabit mendicum, vt faciat sedere eum cum principibus populi, & solium gloriæ in hæreditatem præbens ipsis. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem, pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Dominũ formidabunt aduersarij eius, super ipsos in cœlis tonabit: Dominus iudicabit

Oratio Annæ. Samuel. 1. fines terræ & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Domine exercituum si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ: dederisque

seruæ

seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius,& nouacula non ascendet super caput eius.

Canticum Iudith ob victoriam in Holofernem.

INcipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum nouum, exultate & inuocate nomen eius: Dominus conterens bella,Dominus nomen est illi, qui posuit castra sua in medio populi sui, vt eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. Venit assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles, dixit se incensurum fines meos,& iuuenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, & virgines in captiuitatem, Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum. Non enim cecidit potens eorum a iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed manus famulæ tuæ Domine dissoluit illum. Hymnum cantemus Domino,hymnum *Iudith. 16.*

num nouum cantemus Deo nostro. Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest. Tibi seruiat omnis creatura tua: quia dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ Domine Deus, montes a fundamentis mouebuntur cum aquis, petræ, sicut cera liquescent ante faciem tuam Domine. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia, Væ genti insurgenti super populum tuum Domine, nam tu Deus omnipotens vindicabis in eis, in die iudicij visitabis illos, filij puellarum compuxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos, perierũt in prælio a facie Domini Dei mei. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum & sciant quod Dominus Iehoua est Deus noster.

Oratio 16. ex Psalmis.



Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri:

Vt cognoscamus in terra

ra viam tuam Domine, & in omnibus gentibus salutem tuam.

Ipse est Deus noster, Deus cuius sola salus nostra sit nomen Dei nostri benedictum.

Iubilate Deo omnes habitatores terræ cantate gloriam nomini eius,& date gloriam magnificentiæ eius. *Psal. 66.*

Ingrediar Domum tuam Domine cum holocaustis,& reddam tibi vota mea omnibus diebus vitæ meæ.

Exaudi Domine vocem meam in præcatione mea, a terrore hostis custodi vitam meam. *Psa. 64.*

Lætabitur enim iustus in Domino & sperabit in eo, & gloriabuntur omnes qui recto sunt corde.

Commorabor in tabernaculo tuo in secula, & sperabo in abscondito alarum tuarum Domine Deus.

Tu Deus exaudisti vota mea, & dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Exaudi Domine orationem meam, & ausculta clamori vocis meæ. *Psa. 61.*

Ab extremo terræ ad te Deus meus clamabo, dum cor meum in mærore est.

Apud Deum est salus mea & gloria mea, petra fortitudinis meæ,& spes mea.

Tu misereris cui volueris Domine, &

clemens es in quem tibi placuerit.

Concilium tuum in sempiternum persistet, & omnis tua voluntas fiet.

Tua est potentia, & imperium & gloria, qui es super omnia, & per omnia & in omnibus nobis.

Psal. 50. Miserere mei Deus miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele transgressiones meas.

Laua me Deus sancte ab iniquitate mea, & ab immundicijs meis purga me.

Peccaui pater sancte peccaui in cœlū & coram te, neq; iam sum dignus vocari filius tuus.

Quoniam irritaui iram tuam in multitudine iniquitatis meæ, & mentitus sum in omnibus iustitijs tuis.

Deus in multitudine pietatis tuæ miserere mei, & exaudi me in veritate salutis tuæ.

Psa. 69. Erue me Domine Deus de luto vt non demergar, & erue me ab ijs qui me odio habent.

Exaudi me Deus, quoniam bona est pietas tua, iuxta multitudinem miserationum tuarum respice me.

Et

Et non abscondes faciem tuam a seruo tuo, quia laudabo nomen Dei mei semper.

Tu es spes mea Domine Deus: tu sola fiducia mea a pueritia mea. *Psa.72.*

Per te sustentatus sum ab vtero, & ex visceribus matris meæ tu eduxisti me.


Impleatur os meum laude tua, toto die gloria tua.

Ne proijcias me Deus a te, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.

O Deus meus ne elongeris a me, in auxilium meum festina.

Benedictus Dominus Deus, Deus Israel qui facit mirabilia solus.

Oratio 17. ex Psalmis.



O Domine Deus salutis meæ die ac nocte clamo in conspectu tuo: intret oratio mea coram oculis tuis. *Psa. 8*

Suscipe causam meam post longam iram tuam Domine, ne irascaris obsecro in perpetuum.

Ne repellas contritum & humiliatum, miserum & abiectum qui nomen tuum suppliciter inuocat.

O Deus meus ne facias mihi iuxta peccata mea, & secundum iniquitates meas ne reddas mihi.

Ne ostendas Domine potentiam tuam in miserum, nec eum cui nulla est virtus tam dure persequaris.

Veniant preces meæ ante vultum tuum Domine, & iuxta promissa tua recipias me in gratiam tuam.

Nam ego me peccatorem confiteor, te obsecrans æterne Deus, vt facias mecum iuxta magnam misericordiam tuam.

Aspice & exaudi me Domine Deus: illumina oculos meos ne forte dormiam in morte.

Psal. 13. Ne obliuisceris Domine Deus mei in perpetuum: neque abscondas faciem tuam a me.

Notum est tibi desiderium meum Domine, & necessitas mea te minime latet.

Cor meum in me fluctuabundum est, & fortitudo mea a me recessit.

Anima mea plena est immunditijs, & in me toto nihil est sanum.

O Domine Deus in ira tua ne arguas me, neque in furore tuo vltionem de me sumas.

Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ, nulla mihi pax a facie peccatorum

rum meorum.

Propitius esto Domine Deus peccatis meis, & scelera mea coram te deleantur.

Concilio tuo diriges me Domine Deus, & postea cum gloria suscipies me. *Psa. 73.*

Appropinquatio mea ad Deum meum, vt ponam in Domino spem meam, & enarrem omnia opera Domini.

Nam quis est mihi in cœlis ô Domine Deus (præter te) & tecum neminem in terra volui.

Miserere mei pie pater, miserere mei, & noli diutius mecum irasci propter nomen magnum tuum.

Et propter nomen sancti filij Iesu, quē misisti propitiationem pro peccatis nostris per fidem in sanguine suo, propitius esto mihi peccatori.

Reduc, Domine Deus, oculos tuæ maiestatis super opus ineffabilis pietatis tuæ.

Perfice gressus meos in semitis tuis, facque odio me habere omnes vias iniquitatis.

Ablue a malitia cor meum, & ab occultis malis munda me.

Purifica cor meum per sanctificationē spiritus tui, & munda me per aspersionem sanguinis filij tui ab omni immun-

ditia peccati, & conſcientia mala.

Fac me Domine Deus redire de vijs meis malis, & a cogitationibus meis prauis.

Ne ponas vultum tuum Domine aduerſum me, nec ineas iudicium cum ſeruo tuo.

Anima mea te expectat, quoniam tecum eſt miſericordia & copioſa apud te redemptio,

Pius & clemens, miſericors & plenus gratia, es tu Domine Deus, ac pœnitens ſuper malitiam hominum.

Vniuerſæ viæ tuæ miſericordia & veritas, & iuſtitia tua manet in æternum.

In Deo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei & ſpes mea in Deo eſt.


Exaudi orationem meam Domine: auribus percipe lachrimas meas.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris a me, intende in adiutorium meum Deus ſalutis meæ,

Domine miſerere mei, & exaudi præces meas, quoniam tu Deus meus, & non eſt abſque te ſaluator.

Auertatur furor tuus a me, nec me deuaſtes propter peccata adoleſcentiæ meæ.

Oratio 18. ex Psalmis.



Omine exaudi præces meas, & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam a me Domine Deus, inclina ad me aurem tuam.

Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.

Miserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele Domine iniquitatem meam.

Amplius laua me Deus meus ab iniquitate mea, & a peccato meo mũda me.

Tibi soli peccaui Domine, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Peccaui coram oculis tuis Domine, & propterea instabilis facta est anima mea.

Vere peccaui in te Domine Deus, & vsque in præsentem diem macula sceleris mei permanet mecum.

Irritum feci pactum quod tecum inieram, & legem tuam seruare contempsi.

Dereliqui te Deum factorem meum, recessi a te saluatore meo, & sicut taurus recalcitrans iugo suo rebellis sum tibi.

Cor meum erga te induraui, & ceruicem meam post peccata superbe erexi.

Psa. 24. O Deus meus & pater cœlestis, delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu, recordare mei propter bonitatem tuam Domine.

Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.

Conuerte me Domine ad te, & conuertar, aufer a me cor malignum vt faciat in me lex tua fructum.

O fortissime Deus spirituũ, & vniuersæ carnis cuius iudicia inscrutabilia & sapientia profunda.

Exaudi præces serui tui, & ne repellas obsecrationes figmenti tui.

Ad te animam meam conuerto, ad te oculos meos dirigo, da vt inueniam gratiam coram te Domine Deus.

Miserere mei Domine, miserere mei nullum aliud auxilium habentis præter te Deus meus.

Exaudi me miserum tibi supplicantem da mihi fiduciã nominis tui, & libera me in

in manu tua.

Attende de cœlo Domine, respice de habitaculo sancto tuo, & de solio gloriæ tuæ.

Respice ad me & miserere mei, quoniam in te peccaui & feci malum ante oculos tuos.

O Deus æterne, iuste, & sancte qui custodis pactum & misericordiam cum ijs qui te diligunt, & mandata tua seruant.

Effunde super me viscera misericordiæ tuæ, vt inueniat seruus tuus cor semper ad orandum te.

Veniat ad te oratio mea Domine, & dic animæ meæ, en ego salus tua iam adsum.

Nam Dominus factus est mihi in refugium, Dominus mihi adiutor in tribulatione.

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.

Tibi Domine derelictus est pauper: Orphano tu eris adiutor,

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

Vidisti Domine facinora mea, suscipe causam meam, recordare quam vilis fac-

tus sum, inspice, contemplare & miserere mei.

Memor esto mei propter bonitatem tuam Domine, & ostende in me amorem tuum integrum.

Mihi enim perditio ex meipso, tantú in te auxilium meum, & salus mea.

Emenda me Domine, sed in misericordia tua, non in ira tua ne me in nihilum redigas.

Vt intelligam & cognoscam, quam perniciosum sit, atque noxium deserere te Dominum deum meum.

Nemo qui potest sanare me, neq; medicari plagæ meæ præter te Domine.

Nullus qui me liberet præter Deum meum qui vulnera infers & sanas, percutis & curas.

Sententiæ e prouerbijs Salamonis desumptæ.

E CAPITE PRIMO.



Vdiens sapiens sapientior erit, & intelligens, gubernacula possidebit.

Timor Domini principium sapientiæ.

Fili

Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, si dixerint, veni nobiscũ, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem deglutiamus eum viuentem: sortem mitte nobiscum, marsupium sit vnum omni nostrum, ne ambules cum eis, prohibes pedem tuum a semitis eorum.

Sapientia foris predicat, in plateis dat vocem suam.

In capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis prôfert verba sua.

En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.

Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, omne concilium meum despexistis, & increpationes meas neglexistis.

Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & cum vobis id quod timebatis aduenerit subsannabo.

E CAPITE. 2.

SI sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuũ prudentiæ, si quæsieris eam sicut pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia:

tia: tunc intelliges iustitiam & iudicium, & equitatem, & omnem semitã bonam.

Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit, concilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris a via mala & ab homine qui peruersa loquitur.

Qui lætantur cum malefecerint, & exultent in rebus pessimis cum jjs ne ingrediaris.

Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea.

Impij vero de terra prodentur; & qui inique agunt auferentur ex ea.

E CAPITE. 3.

HAbe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos, ne sis sapiens apud temetipsum. Time Deum, & recede a malo.

Sanitas erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.

Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugũ tuarũ da pauperibus.

Ne obliuiscaris legis Domini Dei tui, & præcepta eius cor tuũ semper custodiat.

Disci-

Disciplinam Domini non abijcias, nec deficias cum ab eo corripueris.

Quem enim diligit Deus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.

Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.

Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia, ne effluant hæc ab oculis tuis.

Custodi legem meam, atq; concilium meum, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.

Tunc ambulabis in via tua, & pes tuus non impinget.

Si dormieris non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus.

Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.

Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciã, ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi: cum statim possis dare.

Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exultatio ignominia.

E CAPITE. 4.

QVære Dominum & custodiet te, dilige illum & conseruabit te.

Prin-

Princi pium ſapientiæ, poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam.

Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.

Fuge ab ea, nec tranſias per illam: declina & deſere eam.

Non enim dormiunt, niſi cum maleſécerint: & non rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantauerint.

Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.

Iuſtorum autẽ ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſſit vſque ad perfectam diem.

Via impiorum tenebroſa: neſciunt vbi corruant.

Remoue a me os prauum, & detrahentia labia ſint procul a te.

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.

Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur.

Ne declines ad dexteram, neq; ad ſiniſtram: auerte pedem tuum a malo.

E CAPITE 5.

NE intenderis fallaciæ mulieris, fauus diſtillens labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.

Nouiſſi-

Nouissima autem illius amare quasi absynthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps.

Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant.

Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles.

Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.

Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sunt in domo aliena.

Et gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum.

Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.

Deriuentur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas diuide.

Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.

Respicit Dominus viam hominis, & omnes gressus eius considerat.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.

Ipse morietur quia non habet disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

E CA-

E CAPITE. 6.

NE dederis somnum oculis tuis, nec dormient palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.

Vade ad formicam o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.

Vsquequo piger dormies, quando consurges e somno tuo.

Ecce veniat tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.

Si vero impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longe fuget a te.

Homo apostota, vir inutilis, ore graditur peruerso, annuit oculis, terit pede digito loquitur.

Prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat, hinc veniet perditio sua, & subito conteretur.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.

Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,

nem cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad malum, proferentem mendacia testem fallacem, & seminantem inter fratres discordiam.

Mandatum sapientiæ lucerna est, & lex eius lux est, & via vitæ increpatio disciplinæ.

Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius.

Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.

Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam,

Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.

E CAPITE 7.

Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.

Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam.

De fenestra Domus meæ, per cancellos prospexi iuuenem qui transit per plateas iuxta angulum, & prope viam do-

domus illius graditur in obscuro. In noctis tenebris & caligine occurrit illi mulier ornatu meretricio preparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo sua consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur iuuenem, procaci vultu dicens.

Victimas pro salute deuoui, idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi.

Intexui funibus lectulum meum, & straui tapetibus pictis ex Ægypto.

Aspersi cubile meum myrrha, & aleo, & cinnamamo.

Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies

Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens & nescit ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecor eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.

Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius.

Multos vulneratos deiecit, & fortissimi interfecti sunt ab ea.

Vix

Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.

E CAPITE 8.

EGO sapientia habeto in concilio, & eruditis intersum cogitationibus.

Timor Domini odit malum, arrogantiam & superbiam & os bilingue detestor.

Meum est concilium, & equitas: mea est prudentia & fortitudo.

Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernant.

Ego diligentes me, diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.

Beatus homo qui audit Dominum, & qui vigilat ad fores eius quotidie.

Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino, qui autem in me peccauerit, lædit animam suam.

Omnes qui me oderunt diligunt mortem.

Qui coaceruat diuitias vsuris & fœnore liberali, in pauperes congregat eas.

E CAPITE. 9.

RElinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.

Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit, qui arguit impium sibi maculam generat, argue sapientem, & te diliget.

Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.

E CAPITE. 10.

QVI nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem sequitur aues volantes.

Qui congregat in messe filius sapiens est, qui stertet æstate filius confusionis.

Benedictio Domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas.

Memoria iusti cum laudibus: & nomen impiorum putrescet.

Vena vitæ os iusti, & vniuersa delicta operit charitas.

Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius, pauor pauperum egestas eorum.

Opus iusti, ad vitam: fructus impii ad pec-

peccatum.

Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio,

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum in via.

Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur,

Expectatio iustorũ lætitia est:spes autem impiorum peribit.

Fortitudo simplicis, via Domini: & pauor his qui operantur malum.

Iustus non commouebitur in æternum, impius non habitabit super terram.

E CAPITE. II.

Non proderunt diuitiæ in die vltionis:iustitia liberabit a morte.

In bonis iustorum exaltabitur ciuitas : & in perditione impiorum erit ladatio.

Vbi non est gubernator corruet populus, salus autem vbi concilia multa.

Mulier gratiosa inueniet gloriam, sed mulier pulcra & fatua , circulus aureus in naribus suis.

Infernus & perditio nunquam implentur

plentur, & oculi hominum insatiabiles.

Manus in manu non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur.

Fructus iusti lignum vitæ, & eius via, via vitæ.

Desiderium iustorum omne bonum est, præstolatio impiorum furor.

Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij capiunt non sua & semper in egestate sunt.

Qui derelinquunt legem: laudant impium.

Qui confidit in diuitiis suis corruet: iustus quasi virens folium germinabit.

Abhominabile Domino cor prauum, & voluntas eius in his qui simpliciter ambulant.

Vt ferrum ferro, sic homo homine exacuitur:

Iustus vitam quærit, sectatio malorum mortem.

Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens scrutabitur eum.

E CAPITE. 12.

QVi bonus est, hauriet sibi gratiam a Deo, qui autem confidit in cogi-

cogitationibus suis impie agit.
Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus eius mala mulier.
Cogitationes iustorum iudicia: & concilia impiorum fraudulenta.
Melior est pauper, & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane.
Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet iustus de angustia.
Fatuus statim indicat iram suam, qui dissimulat iniuriam callidus est.
Labium veritatis firmum in perpetuum, testis autem repentinus concinnat linguam mendacii.
Vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis animi conciliis anima dulcoratur.
De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.
Dolus in corde cogitantium mala, qui pacis concilia inuenit, sequitur eos gaudium.
Mæror in corde viri, humiliabit illum & sermone bono lætificabitur.
Abominatio Domino labia mendacia, fideles sermones placent ei.
In semita iustitiæ vita: iter autem deuium ducit ad mortem.

E CAPITE. 13.

QVi custodit os suum, custodit animam suam, & filius sapiens, doctrina patris.

Est quasi Diues, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit.

Lux iustorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.

Qui cum consilio agunt omnia, reguntur sapientia: inter superbos iurgia sunt.

Substantia festinata minuetur: quæ paulatim colligitur multiplicabitur.

Spes quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ, desiderium veniens.

Animæ dolosæ errant in peccatis: iusti misericordes & miserantur.

Lex sapientis, fons vitæ, vt declinet a ruina mortis.

Nuncius impij cadet in malum: legatus fidelis sanitas.

Desiderium, si compleatur, delectat animam, detestantur stulti eos qui fugiunt mala.

Cum sapiente sapiens eris, cum stulto stultior fias.

Pecca-

Pectatores persequitur malum, & iustis retribuentur bona.

Iustus comedet & replet animam suam, venter impiorum insaturabilis.

E CAPITE. 14.

AMbulans recto itinere, & timens Deum, despicitor ab impio.

In ore stulti virga superbiæ, labia sapientis custodient præcepta.

Stultus illudet peccatum, & inter iustos morabitur gratia.

Domus impiorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt.

Testis fidelis non mentietur, profert mendacium dolosus testis.

Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortē.

Sapiens timet, & declinat a malo, viis suis replebitur stultus.

Sapientia callidi est intelligere viam, & prudentiam stultorum errans.

Impatiens operabitur stultitiam: & vir versutus odiosus est.

Qui despicit proximum, peccat: qui miseretur pauperis beatus erit.

Risus dolore miscebitur: & extrema gaudii luctus occupat.

Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit.

Corona sapientum, diuitiæ eorum, fatuitas stultorum imprudentia.

Liberat animas testis fidelis, & profert mendacia versipellis.

Humor Domini fons vitæ, & in timore eius fiducia iusti.

In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.

Qui patiens est multa gubernatur sapientia: impatiens exaltat stultitiam sui.

Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia.

Qui calumniatur egentem exprobrat factori eius, honorat eum qui miseretur pauperis.

Iustitia eleuat gentem, peccatum miseros facit populos.

E CAPITE 15.

Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.

Lingua sapientum ornat scientiam: ac fatuorum ebullit stultitiam.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

Lingua

Lingua placabilis lignum vitæ, immoderata autem conterit spiritum.

Abhominatio Domino via impij, & victimæ impiorum fætent.

Doctrina mala, infernus & perditio coram Domino.

Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deijcitur spiritus.

Omnes dies pauperis, mali: secura mens quasi iuge conuiuium.

Melius est parum cum timore Domini quam thesauri magni, & insatiabiles.

Melius est vocari ad olera cum charitate, quā ad vitulum saginatum cū odio.

Iracundus vir prouocat rixas: patiens mitigat suscitatas.

Donum superborum demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ.

Malæ cogitationes abhominatio Domino, sermo purus placet Deo.

Per misericordiam & fidem purgantur peccata, & per timorem Domini omnis declinat a malo.

Longe est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudit.

Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa.

Disciplina sapientiæ timor Domini, & gloriam præcedit humilitas.

E CAPITE. 16.

HOminis est animam præparare, & Domini gubernare linguam Omnes viæ hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.

Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.

Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.

Omnis arogans, etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens, hunc Deus detestatur.

Initium bonæ viæ, facere iustitiam: accepta est apud Deum magis quã immolare hostiam.

Cor hominis disponit vitam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.

Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.

Pondus & statera iudicia Domini sunt & opera eius, omnes lapides sacculi.

Voluntas regum labia iusta, quoniam iustitia firmatur solium eius.

Indignatio regis, nuntij mortis, & vir sapiens placabit eum.

In hilaritate vultus regis; vita: & clementia eius quasi imber serotinus.

Possi-

Possíde sapientiam quia auro melior est, & acquire prudentiã quia pretiosior est argento.

Meliora sunt vulnera diligentis: quam fraudulenta oscula odientis.

Melius est humiliari cum milibus, quam diuidere spolia cum superbis.

Cor sapiens erudiet os eius, & labiis eius addet gratiam.

Fauus mellis composita verba: dulcedo animæ sanitas ossium.

Vir insipiens fodit malum, & in labiis eius ignis ardescit.

Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua perficiet malum.

Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur.

Melior est patiens viro forti, & qui animo dominatur suo, expugnatore vrbiũ

Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.

Melior est buccella sicca cum gaudio: quam domus plena victimis cum iurgio.

E CAPITE. 17.

SEruus sapiens Dominabitur filijs stultis.

Sicut igne probatur argentum, & au-

rum camino, ita corda probat Dominus.

Malus obedit linguæ, & fallax obtemperat labijs mandacibus.

Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.

Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens.

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.

Qui iustificat impium & condemnat iustum, vterque apud Deum abbominabilis.

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam, & qui euitat discere, incidet in mala.

Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa.

Non est bonum damnum inferre iusto nec percutere principé qui recta iudicat.

Os stulti contritio eius, & labia eius ruina animæ eius.

E CAPITE. 18.

STultus si tacuerit sapiens reputabitur, cum loquetur agnoscitur sapiens.

Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.

Frater qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas firma & iudicia quasi vectes vrbium

Mors

Mors & vita in manibus linguæ, qui diligunt eam comedunt fructus eius.

Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonũ, & hauriet iucunditaté a Domino.

Cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigide.

E CAPITE. 19.

MVlti colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.

Fratres hominis pauperis cederunt eum, & amici procul recesserunt ab eo.

Non decent stultum diuitiæ, nec seruũ dominari principibus.

Sicut fremitus leonis, ita & regis ira, sicut ros super herbã, ita & hilaritas regis.

Beatus homo qui semper est pauidus: qui vero mentis duræ est, corruet

Dolor patris filius stultus, & tecta perstillantia mulier litigiosa.

Domus & diuitiæ dantur a parentibus a domino autem vxor prudens.

Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudiné suam reddet ei.

Homo indigens misericors est, & melior est pauper iustus, quam diues mendax

Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.

E CAPITE. 20.

LVxuriosa res est vinum,& timultuosa ebrietas,his qui delectantur non sapiunt.

Sicut rugitus leonis, ita & terror regis, sicut aqua profunda, sic concilium in corde viri.

Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?

Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquit.

Rex qui sedet in solio mendacij, dissipat omne malum intuitu suo.

Quis potest dicere mundum est cor meum,purus sum a peccato.

Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit vtrunque.

Dissipat impios rex sapiens & incuruat super eos fornicem.

Lucerna Domini,spiraculum hominis, qui inuestigat omnia secreta ventris.

Misericordia & veritas custodiunt regē & roboratur clementia thronus eius.

Exultatio iuuenum fortitudo eorum: dignitas senum canicies.

E CAPITE 21.

SIcut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini.

Ex-

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum.

Qui congregat thesauros lingua mendaci, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

Peruersa via viri, aliena est a deo, qui mundus est, rectum opus eius.

Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa.

Anima impij desiderat malum, nec miseretur proximo suo.

Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, ipse clamabit & non exaudietur.

Munus absconditum extinguit iras: & Donum in sinu indignationem maximã.

Vir qui errauerit in via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.

Qui diligit epulas in egestate erit & qui amat vinum non ditabitur.

Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam & gloriam.

Non est sapientia, nec prudentia, nec concilium contra Dominum.

E CAPITE. 22.

MElius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ: super aurum & argentum est gratia bona.

Callidus videt malum, & abscondit se, pertransit innocens & afflictus

est Damno.
Finis modestiæ timor Domini, & gloria, & vita.
Adolescens iuxta viã suam, cum senuerit non recedet ab ea.
Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consumabitur.
Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neq; conteras egenũ in porta
Quia iudicabit Dominus causã eius, & configet eos qui confixerunt animã eius
Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.
Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioso.
Ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.
Fouea profunda os meretricis, cui iratus est Dominus, incidit in eam.

E CAPITE 23.

NE desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.
Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum:
Ne erigas oculos tuos ad opes quas nõ potes habere quia, faciunt sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.
Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius.
Co-

Comede & bibe dicet tibi,& mens eius non est tecum.

In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui.

Ingrediatur ad doctrinam cor tuum,& aures tuæ ad verba scientiæ.

Si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.

Et exultabunt renes mei, cum loquuta fuerint recta labia tua.

Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die.

Quia habes spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur.

Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum qui cartus ad vescendum conferunt.

Veritatem,sapientiam,doctrinã,& intelligentiam eme, & noli vendere.

Cui væ?cuius patri væ? cui rixæ?cui foueæ?cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum?

Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?

Ne intuearis vinum quando flauescit cum splenduerit in vitro color eius.

Blande ingreditur, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundit.

Ne

E CAPITE. 24.

NE æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis

Vis sapiens, fortis est: vt vir doctus robustus est & validus.

Vt mel & fauum gutturi tuo dulce, sic sapientia & doctrina animæ tuæ suauis.

Septies in die cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius, ne exultet cor tuũ.

Ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.

Qui arguit impium laudabitur, & super ipsum veniet benedictio.

Ne lactes quemquam labiis tuis nec testis sis frustra contra proximum tuum.

Ne dicas, vt fecit mihi, sic faciam illi.

Vsquequo piger dormies: vsquequo de somno consurges, ecce veniet tibi.

Quasi cursor egestas, & quasi vir armatus mendicitas.

E CAPITE. 25.

AVfer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius.

Ne

Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris.

Melius est vt dicatur tibi, ascende huc, quam vt humilieris coram principe.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

Inauris aurea & margarita fulgens qui arguit sapientem, & aurem obedientem.

Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis Domino suo.

Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.

Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte euomas illud, satiatus.

Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ, & amittet pallium in die frigoris.

Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.

Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit da ei aquam bibere.

Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

Aqua frigida animæ sitienti, & nuncius bonus de terra longinqua.

Fons

Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.

Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria.

Sicut vrbs patens absque muro, sic vir qui non potest cohibere spiritum suum.

E CAPITE. 26.

VT nix in æstate, & pluuia in messe, sic indecens est stulto gloria.

Sicut auis ad alta volans, & passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet.

Melior est manifesta correctio, quam amor absconditus.

Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium.

Claudus pedibus & iniquitatem bibens, qui mittit verbum per nuncium stultum.

Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurii, ita qui stulto tribuit honorem.

Vt si spina in manu temulenti nascatur, sic parabola in ore stultorum.

Sicut canis reuertitur ad vomitum suum,

um, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.

Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo.

Sapientior sibi videtur stultus, quã septem qui vere sapiunt.

Cum defecerunt ligna extinguetur ignis, & susurrone substracto iurgia conquiescunt.

Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.

Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem reuertitur ad eum.

Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.

E CAPITE 27.

NE glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.

Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus & non labia tua.

Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: quis poterit ferre impetum concitati spiritus?

E CA-

E CAPITE 28.

LEo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.

Pauper pauperem calumnians ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames.

Qui dat pauperi non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.

E CAPITE. 29.

REx qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.

Qui delicate a pueritia ſua nutrit ſeruũ ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.

Seruus non poteſt erudiri verbis quia quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit.

E CAPITE. 30.

QVis aſcendit in cœlum & deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis, quis colligauit aquas quaſi in veſtimento?




mento? quis suscitauit omnes terminos terræ, quod nomen est eius & quod nomen est filij eius si nosti.

Quatuor insaturabilia sunt, terra, ignis, infernus, & os vuluæ.

Quatuor difficilia, via Aquilæ in cœlo, via colubri super petram, via nauis in mari, & via viri in adolescentia sua.

Tria qui bene gradiuntur & quartum fœliciter incedit, Leo fortissimus ad nullius pauebit occursum, gallus succinctus lumbos suos, & Aries, & Rex.

Oratio 19. ex Psalmis.



Deus spes mea, & fortitudo mea, ille auxilium meum in tribulationibus meis.

Dominus exercituum mecum, refugium meum Deus Iacob.

Propterea non timebo si moueatur terra, si commoueantur montes in medio maris non metuam.

Tu magnus es Deus noster, & incognoscibilis, & sapientiæ tuæ nullus est numerus.

Sapientia tua cogitationes meas reget,

get, vt placeat coram oculis tuis ſemper.
Sapientia tua Domine perfecta eſt, ſcientia tua lucida, & oculos illuminans.
Noui quod omnia potes tu Deus, auxilio ſit mihi manus tua fortis.
Recte ſapere & intelligere Domine Deus doce me, nam ſapientia tua totum quod volo.
Da verbum tuum in ore meo, & in corde meo ſapientiam tuam fige.
Viam ſapientiæ tuæ notã fac mihi Domine, & intellectu illius cor meũ imple.
Vocem meam audi, ſecundum miſericordiam tuam Domine, ſecundum iudicium tuum mecum agito.
Reſpice ad me & miſerere mei, & benedicam nomen tuum in ſeculum ſeculi.
Annunciaui coram te cauſam meam, fac cum ſeruo tuo iuxta magnam miſericordiam tuam.
Da gloriam nomini tuo Domine, tu enim ſolus es bonus & ſapiens, & non eſt alius præter te ſaluator.
[illegible].66. Iubilate Domino omnes habitatores terræ, cantate gloriam nomini eius, & date gloriam magnificentiæ eius.
Venite & videte opera Dei, quam terribilis ſit in operibus ſuis.
O Domine Deus tecum ſunt diuitiæ, & gloria

gloria opes incorruptibiles & iustitia.

Qui te inuenerit inuenit vitam, & te qui non amat diligit mortem.

Doce me Domine Deus, ne augescat ignorantia mea, & delicta mea multiplicentur.

Tange os meum Deus meus vt recedat iniquitas mea, inhabita cor meum vt peccata mea purgentur.

Firmetur in animo meo sapientia tua, & legem tuam in corde meo scribe.

Spiritus tuus Domine me doceat, quæ tibi placita sunt, & ducat me in viã rectã.

Laudabo nomẽ Dei in cantico, & magnificabo Dominum in laude.

Laudent illum cœli, & terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Psal. 99.

Cuius potentia irresistibilis, & misericordia super omnia opera sua.

In ditione sua vniuersa sunt posita, anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ humanæ carnis.

Domini enim est potestas regia, & imperium habet etiam in gentes

Ab omnibus sceleribus meis eripe me Domine, & sana animam meam quia in te peccauit.

Liberum fac me a reatu transgressionis meæ: nam iniquitatẽ meam agnosco, &

pro

pro peccatis meis pœnitentiam ago.

Tu misericordiam, æquitatem & iustitiam facis in terra, & ijs viuice Domine delectaris.

Iustus, & bonus es tu Domine, ego autem vultum tuum offendi.

Transgressus sum fœdus tuum, & in te præuaricatus sum.

Domine Deus tu misereris cui volueris, & clemens es in quem tibi placuerit.

Ego pauper & miser sum festina ad me
Psal. 70. Deus, tu es auxilium meum, & liberator meus, Domine ne tardaueris.

Exultent & lætentur in te omnes qui te quærunt, & dicant semper magnificetur Dominus.


Et bonitatem tuam discent omnes habitatores terræ, quum benefeceris nobis propter nomen magnum tuum.

Non facis Domine secundum vias nostras malas, neque iuxta scelera nostra praua.

Infirmatus es Domine propter peccata nostra, & vulneratus es propter scelera nostra.

Languores nostros tu in corpore tuo tulisti, & tu Domine Deus dolores nostros portasti.


Tradidisti in mortem animam tuam, & pro



pro transgressoribus præces effudisti.

Sis igitur benedictus Domine Deus noster, & metuant te omnes fines terræ.

Oratio 20. ex Psalmis.



Eus æterne, iuste & sancte qui custodis pactum & misericordiam cum ijs qui te diligunt, & mandata tua seruant.

Respice ad me Domine Deus & miserere mei, quoniam in te peccaui, & feci malum ante oculos tuos.

Aperi oculos tuos, & vide magnitudinem mali mei, multa enim iniquitas mea in conspectu tuo Domine.

Ne redigas me penitus in consumptionem, neue deseras me in peccatis meis, quoniam tu Deus es miserationum.

Ne perdas me Domine propter iniquitates meas, neque in æternum reserues mihi mala.

Absit longe a me, vt iterum a te recedam, & promissa tua non exquiram.

Tu Domine seruas veritatem tuam in æternum, & quod egreditur de labijs tuis non fiet irritum.

O Domine Deus meus es tu, & nomen tuum

tuum impositũ est mihi, ne derelinquas me in profundo malorum meorum.

Tu Deus multos eruisti, & manus lassas confortasti, nutantem erexerunt sermones tui, & genua incuruata direxisti.

Suscitasti de puluere inopes, abiectos exaltasti tuo auxilio.

Et propterea requiram te Domine Deus, qui fecisti magna imperuestigabilia & innumerabilia.

Conuertere Domine,& placabilis esto super seruos tuos.

Psa.90. Satia nos mane pietate tua, cantabimus & exultabimus cũctis diebus nostris

Appareat in seruis tuis opus tuum, & gloria tua in filijs eorum.

Dicam Domino spes mea, & fortitudo mea es tu Deus meus,ego sperabo in te.

Psa.91. Sub alis tuis protegam me, atque sub pennis tuis sperabo, pro scuto & clypeo erit veritas tua.

Tu Deus es qui liberas pauperem in miseria, & ostendis pietatem tuam te diligentibus.

Tu clemens & misericors es illis, qui versantur in lege tua, & longanimis es erga eos qui in te peccauerunt.

Redi Deus meus vt salues animam meam, ne disperdas me quem redemisti in magni-

magnitudine brachij tui.

Suscipe seruum tuum in bonum, & ne confundas me ab expectatione mea.

Ne adspicias duritiē cordis mei, sed ignosce mihi in misericordijs tuis multis.

Paciscere mecum fœdus in sempiternum, quod timorem tuum daturus sis in cor meum, vt non deficiam a te Domine omnibus diebus vitæ meæ.

In æternum ne auferas a me bonitatē tuam, nec fallas mihi veritatem tuam.

Benefac mihi in beneuolentia tua, misericors .n. es, nec irascaris in perpetuū.

Inclina cor meum ad faciendum præcepta tua, & dirige vias meas in conspectu tuo semper.

Ne permittas me Domine Deus post hac errare a vijs tuis, nec iam relinquas me in peccatis meis.

Memor esto mei in beneplacito tuo, & visita me in salutari tuo.

Quoniam misericordiæ tuæ immensæ sunt, & innumerabilis bonitas tua.

Exaudi me Domine Deus, placare Domine, attende, & facias iuxta magnum nomen tuum.

Succurre mihi Deus, illumina vultum tuum super me, & miserere mei.

In te confidit anima mea, de te exaltat

cor

cor meum, veniat ad thronum tuum precatio mea.

Psa. 62. Quoniam tu Domine es spes mea, excelsum posuisti habitaculum refugij tui.

Non obueniet tibi malum, neque appropinquabit plaga tabernaculo tuo.

Bonum est igitur confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissimo.

Ad annunciandum mane pietatem tuam Domine, & veritatem tuam per noctem.

Quoniam bonus tu ac propitius, seruans pactum & misericordiam cum seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.

Exaudi me Domine Deus, hoc vno tantum indegeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo.

Sit semper bonitas tua mecum: nam a te pendet omnis salus mea.

O Deus meus vitam meã annunciaui tibi, saluum fac me quoniã in te speraui.

Oratio 21. ex Psalmis.

DOmine Deus exercituum conuerte me, & fac illucescere vultum tuum super me & saluabor.

Intuere e cœlis, aspice & visita me,

me, & sit manus tua Domine super me, & salua me.
Mihi impietas mea nocebit, & iustitia tua mihi proderit.
Memento obsecro Domine, quod ex luto finxeris me, & rursus in puluerem mortis reduces me.
Dies mei sicut fumus euanescunt, quasi ventus vita mea fugit nec vidit bonum.
Dies vitæ meæ breues sunt, terminum statuisti, quem non transibo.
Nudus egressus sum de ventre matris meæ, illicq; nudus reuertor, certe vanitas omnis homo viuens.
Misereat te Domine miserorum, & opera manuum tuarum ne contemnas.
Domine Deus cesset a me indignatio tua, & proijce post tergum omnia peccata mea.
Deflecte a me vltionem, & animum meum parumper a molestijs abducas.
Memorare mei obsecro, nam pauor occupat me & tremor, totusque in me exterritus sum.
Consurge, ne cessa diutius Domine, excita te, ne deseras me in medio malorum meorum.
En clamo ad te Domine Deus, at non exaudis: misericordiam peto, sed præces

meas excludis.

Aufer a me Domine iniquitatem meam, & tolle impietatem cordis mei.

Effundo quotidie preces meas in conſpectu tuo, & mærorem meum coram te pronuntio.

Peccatorem me confiteor, & humilio cor meum in conſpectu tuo Domine.

Quieſcat a me ira tua, vt intelligam quod ſis mihi magis propitius quã peccata mea ferant.

Quæ eſt fortitudo mea Domine, vt perdurem, aut quis ſit finis, vt patiens ſit anima mea.

Deflexit verbo cor meum, & ſequutus ſum deſideria carnis meæ.

Tu Domine Deus exploratum hoc habuiſti, qui noueris recondita cordis.

Ne imputes mihi peccata adoleſcentiæ meæ, nec veterem iniuriam in memoria teneas.

O Amator hominum Deus, & iudex æquiſſime, parce mihi obſecro modo dũ tempus eſt.

Remitte quod timeo, dele quod vereor prius quã abeam, & poſt hac non ſubſiſtã

Peccata mea me ſupra modum cruciant, quibus maiora eſſe quæ poſſunt?

Tu autem Domine ne longe facias miſerati-

serationes tuas a me, misericordia tua, & veritas tua susceperunt me.

Ne proijcias me a facie tua Deus, & spiritum sanctum tuũ ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu tuo confirma me.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Auerte faciem tuam Domine a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Emollias cor meũ, vt reuertar ad semitas tuas, nã in erroris via diutius erraui.

Pater iuste, & Deus sancte ne attendas multitudinem iniquitatum mearum.

Sed respice faciem Iesu filij tui sancti, qui peccatum non fecit, & peccata nostra pertulit in corpore suo super lignũcrucis

Ne deseras me adiutor meus, neque despicias me o Domine Deus meus, & salus mea.

Sed miserere mei propter gloriã nominis tui, & libera me & propitius esto peccatis meis.

In toto corde meo quæsiui te Domine, ne sinas me errare a præceptis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, nam tu benedictus es Domine.

Labijs meis narraui omnia iudicia oris

tui, O Deus meus doce me ſtatuta tua.

In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas, in iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

Retribue Domine ſeruo tuo vt viuam, & cuſtodiam verbum tuum, reuela oculos meos, vt videā mirabilia de lege tua.

Aduena ego ſum in terra, non abſcondas Domine a me mandata tua.

Conſeruetur anima mea ob deſiderium quod habet ad iudicia tua in omni tempore.

Adheſit pulueri anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum.

Viam mandatorum tuorum fac me intelligere: & loquar de mirabilibus tuis.

Viam mendacem aufer a me Domine, & fac vt lex tua mihi grata ſit.

Domine lux mea, & ſalus mea, Domine fortitudo vitæ meæ, in quo ſemper ſperabo.


Tu abſcondes me in tabernaculo tuo, in die malorum, & tu Deus meus ſuper petram me conſtitues.

Domine, tu omnia pro me perficies, O Deus, in æternum miſericordia tua, opus manuum tuarum non deſpicies.

Pla-



Planctus Hieromiæ in Hierusalem.



Vomodo sedet sola ciuitas plena populo? Facta est quasi vidua Domina gentiū princeps prouinciarū facta est sub tributo. Plorans plorauit in nocte: & lachrymæ eius in maxillis eius. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreuerunt eam: & facti sunt ei inimici. Migrauit iuda propter afflictionem, & multitudiné seruitutis: habitauit inter gentes nec inuenit requié: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitaté: omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes: Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

Facti sunt hostes eius in capite: inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: paruuli eius ducti sunt in captiuitatem . ante faciem tribulantis.

Et egressus est a filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ,& præuaricationis: omnium desiderabilium suorum quæ habuerat a diebus antiquis cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha eius.

Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens, & conuersa est retrorsum.

Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meã quoniam erectus est inimicus.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarem in Ecclesiam tuam.

Omnis populus eius gemens, & quærens

rens

rens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine & considera: quoniam facta sum vilis.

O vos omnes qui transitis per viam attendite, videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, vt locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manum de qua non potero surgere.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos meos: torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator conuertens animam meam: facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandauit Dominus aduersum Iacob, in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

Vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me: sacerdotes mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, vt refocillarent animas suas.

Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subuersum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: forus interficit gladius, & domi mors similis est.

Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui cõsoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, læti sunt quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.

Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos sicut vindemiasti, me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

Quo-

Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israel: & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui?

Præcipitauit Dominus nec pepercit, omnia speciosa Iacob destruxit in furore suo: munitiones virginis Iuda, & deiecit in terrã: polluit regnũ, & principes eius.

Confregit in ira furoris omne cornu Israel: auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: & succẽdit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.

Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.

Factus est Dominus velut inimicus: præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatũ & humiliatam.

Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem & sabbathum: & in opprobrium & in indignationem furoris sui regem & sacerdotem.

Repulit Dominus altare suũ, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manus inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni.

Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam a perditione: luxitq; antemurale, & murus pariter dissipatus est.

Defixæ sunt in terram portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius, & regem eius, & principes eius in Gentibus: non est lex, & prophetæ eius non inuenerunt visionem a Domino.

Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt cilicijs, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.

Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritionem filiæ populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.

Matribus suis dixerunt, Vbi est triticũ & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

Cui comparabo te? Vel cui assimilabo

te

te filia Ierusalem? cui exæquabo te, & cõsolabor te virgo filia Sion? Magna est enim, velut mare, contritio tua: quis medebitur tibi?

Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam sibilauerunt & mouerunt capita sua super filiam Ierusalem, Hæccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ.

Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt & fremuerunt dentibus suis, & dixerunt, Deuorabimus: en ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus.

Fecit Dominus quæ cogitauit, cõpleuit sermonem suum quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificauit super te inimicũ, & exaltauit cornu hostium tuorum.

Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion, Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctẽ: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

Consurge,

Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuũ ante conspectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

Vide Domine, & considera quem vindemiaueris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos & propheta?

Iacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.

Vocasti quasi ad diem solennem, qui terrerent me de circũitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & relinqueretur: quos educaui, & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.

Plangitur destructio Babylonis,

Esa. 47.



Descende: sede in puluere virgo filia babylon: sede in terra: Non est solium filiæ chaldeorũ: quia vltra nõ vocaberis mollis & tenera. Tolle molam & mole farinam: denuda turpitudinem tuam: Disco operi humerum:

rum: reuela crura, transi flumina. Reuelabitur ignominiia tua: & videbitur opprobrium tuum. Vltionem capiam: & non resistet mihi homo. Redemptor noster Dominus exercituum: nomen illius sanctus Israel. Sede tacens & intra in tenebras filia chaldeorũ: quia non vocaberis vltra domina regnorum. Iratus sum super populum meum: contaminauit hereditatem meã: & dedi eos in manu tua: Non posuisti eis misericordias, super senem aggrauasti iugum tuũ valde: & dixisti, In sempiternum ero Domina. Non posuisti hæc super cor tuum: neque recordata es nouissimi tui. Et nunc audi hæc delicata: & habitans confidenter quæ dicis in corde tuo: ego sum & non est præter me amplius. Nõ sedebo vidua & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die vna sterilitas & viduitas. Vniuersa venerunt super te propter multitudinem maleficiorũ tuorum: & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. Et fiduciam habuisti in malitia tua: & dixisti. Non est qui videat me. Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo ego sum: & præter me non est altera. Veniet super te malum: & nescies ortum e-

ius

ius: & irruet super te calamitas: quam non poteris expiare. Veniet super te repente miseria quam nescies. Sta cum incantatoribus tuis: & cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi: aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorũ. Stent & saluent te augures cœli qui contéplabantur sydera: & supputabant menses vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula: ignis combussit eos. Non liberabunt animam suam de manu flammæ: nõ sunt prunæ quibus calefiant: nec focus vt sedeant ad eum. Sic facta sunt tibi: in quibuscunque laboraueras. Negociatores tui ab adolescentia tua: vnusquisque in via sua errauerũt. Nõ est qui saluet te. Annunciate in gentibus, leuate signum, & prædicate capta est Babilon confusus est Bel. Victus est maradach, confusa sunt omnia sculptilia eorum, seperata sunt Idola eorum, quoniam assendet contra eam gens ab Aquilone quæ ponet terrã eius in solitudinẽ & non erit qui habitet in ea ab homine vsq; ad pecus recedite de medio Babilonis, egredimini de terra Chaldeorũ. Præparamini contra Babilonem per circuitum

cuitum

cuitum omnes qui intenditis arcum. Debellate eam non percatis iaculis, disperdite satorem de Babilone & tenentem falcem in tẽpore messis a facie gladij Columbæ, quia peccauit Domino. Illaqueaui te & capta es Babilon. Gladius ad Chaldeos ait dominus & ad habitatores Babilonis, & ad principes, & ad sapientes eius, Gladius ad diuinos eius & ad fortes illius, Gladius ad equos & ad Currus eius, habitabunt Dracones cum fatuis siccarijs, & habitabuut in ea strutiones, sicut Sodomam & Gomorrahm subuertit Dominus ita non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis, comedit me, deuorauit me Nabucodonosor rex Babulonis, absorbuit me quasi Draco repleuit ventrẽ suum teneritudine mea & eiecit me, & caro mea super Babilonẽ dicit Sion, & sanguis meus super habitatores Chaldeæ dicit Ierusalẽ. Ecce mons pestifer ait Dominus qui corrumpis vniuersam terram, extendam manum meam super te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combustionis, & quomodo fecit Babylon vt caderent occisi in Israel: Sic de Babylone cadent occisi in vniuersa terra.

Plan-

Plangitur destructio Ægypti.

Ezec.30. ET factum est verbum Domini ad me dicens.
Fili hominis propheta & dic. Hæc dicit Dominus Deus. Vlulate væ væ diei:
Quia iuxta est dies: & appropinquat dies domini: dies nubis, tẽpus gentiũ erit.
Et veniet gladius in ægiptum: & erit pauor in Ethiopia cum ceciderint vulnerati in Egypto: & destructa fundamenta eius.
Ethiopia & Libya & Lidii & omne reliquum vulgus: & Chub & filij terræ fœderis cum eis gladio cadent.
Hæc dicit Dominus Deus. Et corruent fulcientes Egyptum: & destruetur superbia imperii eius. A turre syenes gladio cadent in ea: ait Dominus Deus exercituum.
Et dissipabuntur in medio terrarum: & vrbes eius in medio ciuitatum desertarum erunt.
Et scient quia ego dominus Deus: cum dedero ignem in Egypto: & attriti fuerint omnes auxiliatores eius.
In die illa egredientur nuntij a facie mea

mea in trieribus ad conterendam AEthiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in die AEgypti: quia absque dubio veniet.

Hæc dicit Dominus Deus, Et cessare faciam multitudinem AEgypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis.

Ipse & populus eius cum eo fortissimi gentium adducentur ad dispergendam terram: & euaginabunt gladios suos super AEgyptum, & implebunt terram interfectis.

Et faciam alueos fluminum aridos, & tradam terram in manus pessimorum: & dissipabo terram, & plenitudinem eius in manus alienorum. Ego Dominus locutus sum.

Hæc dicit Dominus Deus, Et disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis, & dux de Terra AEgypti non erit amplius: & dabo terrorem in Terra AEgypti.

Et disperdam terram Phathures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam iudicia mea in Alexandria.

Et effundam indignationem meã super Pelusium robur Ægypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ.

Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens

turiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ.

Iuuenes, Heliopoleos, & Pubasti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur.

Et in Taphnis nigrescet dies, cum contriuero ibi sceptra Ægypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius · ipsam nubes operiet: filiæ autem eius in captiuitatem ducentur.

Et iudicia faciam in Ægypto: & scient quia ego Dominus.

Et factum est in vndecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens.

Fili hominis brachium Pharaonis regis AEgypti confregi: & ecce non est obuolutum, vt restitueretur ei sanitas, vt ligaretur panis, & fasciretur linteolis, & recepto robore possit tenere gladium.

Propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad Pharaonem regem AEgypti: & comminuam brachium eius forte, sed confractum: & deijciam gladium de manu eius.

Et dispergam AEgyptum in gentibus, & ventilabo eos in terris.

Et confortabo brachia regis Babylonis daboq; gladium meum in manu eius, & confrin



confringam brachium Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie eius.

Et confortabo brachia regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manum regis Babylonis, & extenderit eum super terram AEgypti.

Et dispergam AEgyptum in nationes, & ventilabo eos in terras, & scient quia ego Dominus.

Oratio 22. ex Psalmis.



Deus meus tu opem mihi a iuuentute tulisti, & vsque ad canos, ne derelinquas me.

Fortitudinem meam adscribam tibi, quoniam tu es protectio mea, Deus meus & Saluator meus.

In æternum custodi mihi misericordiam tuam, in te salus & gloria mea semper.

Tu protector meus, & scutum meum, tu Deus fortitudo mea, refugium, & liberator meus.

Da

Da Domine Deus intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Auerte oculos meos Domine ne vana videant, in via tua viuifica me.

Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis, quia iudicia tua expectam.

O Domine Deus, ne longe abeas a me, fortitudo mea in auxilium meũ festina.

Adiuua me propter gloriam nominis tui, & placare Deus meus super sceleribus meis.

Surge Domine in auxilium meum, & redime propter misericordiam tuam.

Quoniam iniquitatem meam annuncio tibi, & peccatum meum vehementer me vexat.

Miserere mei Deus, miserere mei, ne imputes mihi peccata, quæ stulte commisi.

Noli Domine meminisse meorum retro peccatorum, anteuertant ea misericordiæ tuæ, quia miser sum nimis.

O Domine Deus misericordias tuas in æternum cantabo, notam faciam veritatem tuam in vita mea.

Exul-

Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti in neceſſitates meas, & cognouiſti in anguſtijs animam meam.

Magnificaſti ſalutem tuam ſeruo tuo, feciſti miſericordiam mecum in miſerijs meis.

Conuertiſti dolorem in gaudiũ mihi, diſſoluiſti luctum meum, & circundediſti me lætitia.

Quæſiui te Domine, & exaudiſti me, & de anguſtijs meis me liberum feciſti.

Domine Deus exercituum, quis ſimilis tibi? fortiſſime Deus, magnus es tu, & laudabilis multum.

Tu excelſus es ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Gloria & decor ante vultum tuum Domine, ſanctitas & magnificentia in ſanctuario tuo.

Iuſtitia & iudicium firmamentũ throni tui, miſericordia & veritas faciem tuã præcedunt.

Benedictus es Domine Deus, qui non retinuiſti miſericordiam tuã a ſeruo tuo.

Qui timent te, videbunt me & lætabuntur, quia in verbo tuo fiduciã habui.

Veniant mihi miſerationes tuæ, vt cõſoletur me & viuam, quia lex tua oblectatio

tatio mea eſt.

Sit cor meum integrum in ſtatutis tuis Domine, vt non confundar in æternum.

Domine in voluntate tua robur animæ meæ dediſti, dum abſconderes faciem tuam quam turbatus eram?

Magnus es tu Domine,& multum laudandus in monte ſanctitatis tuæ.

Tibi hymnus Deus, tibi vota noſtra in omni tempore ſoluantur.

Confeſſio & magnificentia opus tuum, & iuſtitia tua in æternum permanet.

Multa feciſti tu Domine Deus miranda & magna, & in operibus tuis non eſt qui ſimilis tui.

Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ: quis non timebit te,& nomen tuum magnificabit.

Gratias ago tibi Domine Deus ex toto corde meo, & nomen tuum in æternum ſanctificabo.

Fortitudo mea & laus tu Domine qui humiliaſti inimicos meos, qui iudex ab initio.

Confitebor Domino ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

Laudate Dominum,& confitemini nomini eius, quoniam bonus eſt, quoniam in æternum miſericordia eius.

Beati



Beati qui custodiunt iudicium, & qui faciunt iustitiam in omni tempore.
Memento mei Domine propter nomē sanctum tuum, visita me in salute tua.
Vt videam fœlicitatem electorum tuorū, & læter in lætitia Gentis tuæ, & glorier cum hæreditate tua.
Benedictus Dominus Deus Israel a seculo & vsque in seculum: & dicet omnis populus, Amen.

Oratio 23. ex Psalmis.



Ominus Deus misericordiæ qui omnia verbo tuo fecisti, & sapientia tua constituisti hominem.
Da obsecro cor docile seruo tuo, vt sciam quid sit acceptum coram te omni tempore.
Mitte de cœlo spiritum sapientiæ tuæ, & sensu illius Domine Deus cor meum imple.
Sapientia tua dat veram scientiam, & ex ore tuo concilium & intelligentia.
Quam amo sapientiam tuam Domine, quæ vnica meditatio mea est.

Quam dulcia cordi meo eloquia tua, multo magis quam mel ori meo.

Verbum tuum Domine Deus pedibus meis lucerna est, & vijs meis lumen.

Vtinam dirigantur viæ meæ, vt sapientiam tuam, & sermones tuos discam.

O beatum illum quem tu instruis Domine, & in lege tua doctum facis.

Anima eius sapientiam meditabitur, & lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei in corde suo scribetur, & non supplantabuntur gressus eius.

O Domine Deus salutis meæ exaudi præces meas, & lingua mea misericordias tuas semper loquetur.

Da Deus sedium tuarum adsistricem sapientiam, vt bonum & malum discernere possim, & occulta tua cognoscam.

Reuela oculos meos Domine Deus, vt admiranda perspiciam, quæ in lege tua sunt.

Fac notam mihi viam sapientiæ tuæ, & scientiam tuam ne celes a me.

Fac mecum iuxta misericordiam tuam, & ne confundas me ab expectatione tua.

Exaudi præces meas Domine, & clamor meus ad te veniat.

Ne auertas faciem tuam a me, in die tribulationis meæ.

Inclina

Inclina ad me aurem tuam, & exaudi me, in quacunque die te inuocauero.

Miserere mei Domine in te confido, obsecro vt non confundar, in tua iustitia eripe me.

Intende voci clamoris mei, O rex meus & Deus meus quoniam tibi supplico.

Miserere Domine, miserere mei, audi vocem meam qua te inuoco, & salua me.

Attende mihi Domine, quoniam suauis est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice me.

Ne longe abeas a me, O mi Deus, in auxilium meum festina.

Ne auertas faciem tuam a seruo tuo Domine, neque in ira tua declines a me.

Te desiderat cor meum, quærit te anima mea, faciem tuam Domine expecto.

Ad te quotidie clamo, ne desilias a me, ne obsurdescas mihi.

Ingrediatur coram te precatio mea, clamor meus ante te veniat.

Verba mea grata tibi sunt, accepta sit coram te meditatio cordis mei.

Ne auertas vultum tuum a me, ne reijcias per iram seruum tuum, auxilium mihi fuisti semper, ne deseras me in an-

gustijs meis, O Domine Deus.
Voce mea ad Dominum clamabo, voce mea ad Deum meum precabor.
Effundam coram te Domine præces meas, & tribulationem meam coram te exponam.
Quoniam ad te Deus sunt oculi mei, in te speraui ne effundas animam meã.
Nã tu Deus meus es spes mea, & portio mea in terra viuentium.
Da auxilium in tribulatione, quia vana est salus ab homine.
Veniat ad me salus tua, nam iudicia tua voluntas mea.
Non est auxilium mihi in me, nec est qui respicit ad necessitatem meam.
Fiat misericordia tua Domine vt me consoletur, eam longe hac vita meliorem duco.
Excita te Domine, & manifestetur seruo tuo gloria tua.
Protrahe misericordiam tuam te inuocantibus, & iustitiam tuam ijs qui te quærunt.
Tui sunt cœli, tua etiam est terra, orbem & plenitudinem eius tu fundasti.
Tu facis mirabilia, nomen tuum est Dominus, tu solus altissimus super omnem terram.
O Deus

O Deus sancta & iusta est via tua, quis Deus magnus, sicut tu Deus noster.

Exaudi me Domine, & eripe me, inclina aurem tuam ad preces meas, & salua me.

Egenus ego sum, O Domine habe curam mei, auxilium meum, & saluator meus es tu Domine Deus.

Benedicite Domino omnes serui Domini, qui statis in domo Domini laudate nomen Domini.

Benedicat nobis Dominus ex Zion, qui fecit cœlum & terram.

Oratio 24. ex Psalmis.

Dirige me Domine Deus in veritate tua, & instrue me, quia tu es Deus Saluator meus, te expecto omni die.

Benefac mihi in bonitate tua Domine, vt glorier de te omnibus diebus vitæ meæ.

Placatus sis erga seruum tuum, & ne faciem tuam diutius a me abscondas.

Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitis tuis assuefacito me.

Sit manus tua mihi in auxilium, & dirigat me in omnibus operibus meis.

Perfice greſſus meos in vijs tuis Domine, vt non dominetur mei omnis iniquitas.

Pone cuſtodiam ori meo, & ſerua oſtium labiorum meorum.

Sint placentes ſermones oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Ne recedat de ore meo ſermo veritatis, & cor meum malitia non inhabitet.

Erue Domine animam meam a labijs mendacij, & a lingua doloſa libera me.

Verbum verum & ſanctum inſere in os meum, & ocioſos ſermones longe a me ſemoueas.

Auerte oculos meos Domine Deus, ne vana videant in via tua illos fige.

Fornicationem & immunditiam omnem aufer a me, & amor carnis non me decipiat.

A ſuperbia libera animam meam Domine, ne dominetur in me, & tunc immaculatus ero a peccato maximo.

Ab omni via mala prohibe pedes meos, ne deflectant veſtigia mea a ſemitis tuis.

Oculi mei ad te Domine, quoniam prope es, & omnes viæ tuæ veritas.

Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus

ctus

ctus es tu, saluum fac seruum tuum, qui in te confidit.

Saluum me fac Domine Deus, in te enim speraui, dic animæ meæ, ne metuas, quia ego tecum sum.

Respice ad me, & miserere mei, da fortitudinem tuam seruo tuo, quoniam te inuoco, & effundo præces meas in conspectu tuo.

Exaudi me Domine, in die tribulationis meæ, protegat me nomen magnum tuum.

Quoniam tu Deus propugnator meus es, & gloria mea, & sustentans infirmitatem meam.

O Deus meus corrobora me in virtute tua, pone perfectam coram te viam meã.

Sustenta gressus meos in semitis rectis, ne forte labascant pedes mei.

Mitte lucem tuam, & veritatem tuam Domine, ipsæ me ducent ad montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Pone stabiles pedes meos Domine Deus, & rectas facito semitas meas.

Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & ne obliuiscaris omnium retributionum eius.

Qui propitiatur omni iniquitati tuæ, &

ſanat omnes infirmitates tuas.

O Deus meus tu redimis ab interitu vitam meam, & tu cingis me pietate & miſerationibus.

Tu Domine ſatias bonis os meum, facis vt renouetur ſicut Aquila iuuentus mea.

Multæ pietatis & longanimis miſericors, & clemens es tu Domine Deus noſter.

Non ſecundum peccata mea facias mihi O Deus, neque ſecundum iniquitates meas retribuas mihi.

Timebunt gentes nomen Domini, & omnes reges terræ gloriam tuam.

* Benedicite Domino omnia opera Domini, in omnibus locis dominij eius, benedic anima mea Domino.

Inquirite Dominum & fortitudinem eius: quærite faciem eius ſemper.

Gloriamini in nomine ſancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.

Tibi ſacrificabo ſacrificium gratiarum actionis, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea reddam Domino coram omni populo eius in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem.

Sermo Domini contra Palestinos.

QVod factum est verbum Domini ad Hieremiam prophetam, contra Palestinos antequam percuteret Pharao Gazam. Hæc dicit Dominus, Ecce aquæ descendent ab aquilone: & erunt quasi torrens inundans: & operient terram & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius. Clamabunt homines & vlulabunt omnes habitatores terræ a strepitu pompæ armorum, & bellatorum eius a commotione quadrigarum eius: & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis: pro aduentu diei in quo vastabuntur omnes Philistijm & dissipabitur Tyrus & Sydon cum omnibus reliquis auxilijs suis. Depopulatus est enim Dominus Palestinos: reliquias insulæ Capadociæ. Venit caluitium super Gazam: cõticuit ascalon & reliquæ vallis earum. Vsque quo concideris? O mucro Domini vsquequo non requiesces? Ingredere in vaginam tuam: refrigerare & sile. Quomodo quiescet cum Dominus præceperit ei: aduersus ascaloné & aduersũ maritimas eius regiones: ibiq; cõdixerit illi.

Oratio pro remiſsione peccatorum.

DOmine Ieſu Chriſte miſericordiarum pater, fac mihi miſericordiam pauperculæ creaturæ tuæ, pone paſſionem & mortem tuam inter iudiciũ tuũ & animam meã, totum me tibi dedo non me renuas, ad te venio Deus meus, non me repellas. Ego ſum miſer ille, quem tu Domine Deus æterna bonitate tua creaſti, & per ignominiocißimã vnigeniti tui mortẽ de poteſtate inimici redemiſti. Tu ſolus imperium & dominium in me habes, meque ſaluare potes, ſecundum immenſam miſericordiam tuam. Te oro miſericors ſaluator, O fortiſſime Heros, O inuicte Deus Iſrael, qui es vnicum auxilium meum, fortitudo mea, confugium & ſpes mea, reſpice me & miſerere mei, & fac mecum miſericordiam propter nomen tuum. In te enim ſpero, in te confido, in te acquieſco Domine Deus, ſit ſemper tua miſeratio mecum. O dulcis Ieſu, neque vitã, neq; mortem, ſed tuum beneplacitũ deſidero, te expecto, fiat mihi ſecundum voluntatem tuam. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo Domine, & fiat manus

tua, vt saluum me faciat, peccaui nimis in vita mea & malum coram te feci Deus meus, & non sum dignus vocari filius tuus, quia peccaui in cœlum, & coram te, auerte faciem tuam Domine a peccatis meis, dele iniquitates meas, secundum magnam misericordiam tuam. Ne proijcias me a facie tua, non secundum peccata mea facies mihi, neque secundum iniquitates meas retribues mihi: sed in spiritu humilitatis suscipe me Domine Iesu vita & salus animæ meæ. Adiuua me Deus salutaris meus, & propter honorem nominis tui libera me, & fac vt inhabitem in domo tua Domine omnibus diebus vitæ meæ, vt in seculum seculi cum habitantibus in ea laudem te. Veni Domine Iesu, teneam te nec demittam te, intraduc me in domum tuam tu susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum, salus mea & benedictio mea, cui laus, honor, & gloria in perpetuum, Amen.

Confessio humilis peccata cõfitentis.

CONditor cœli & terræ rex regum Dominus dominantium, qui me de nihilo fecisti, ad imaginem &

similitudinem tuam, qui me preciosissimo sanguine tuo redemisti, quem ego peccator non sum dignus nominare, nec aduocare, nec corde cogitare, propter multitudinem scelerum meorum. Obsecro te misericordissime Domine Deus miserere mei qui mulieri Chananeæ, & Magdalenæ peccatrici misertus es, qui publicanum & Latronem ob vnius verbi confessionem exaudisti. Tibi patri mitissimo prodigus & luxu perditus ego filius confiteor innumera scelera mea, quibus te Deum meum & saluatorem per totam vitam meam offendi. Tu Domine scis omnia quæ cogitaui ab infancia mea vsque in hunc diem. O pater cœlestis, tu scis quoties peccaui superbia, auaritia, gula, luxuria, ira, inuidia, vana gloria, corde, ore, opere, & omissione & omnibus modis quibus ego fragilis peccator multis peccatis obnoxius peccare potui, mea culpa, Heu mea grauissima culpa. Oro te igitur O pater misericors auerte faciem tuam a peccatis meis, neue eorum in ira & furore tuo memineris. Respice me placatus Domine Deus & miserere mei longe enim sum infælicissimus & miserrimus, Mea culpa, mea vita impia tua gratia me indignum feci. Malis concupiscentijs

piſcentijs vulneratus ſum, & nihil ſani eſt in carne mea. Sed O clemens pater, te oro ne proijcias me a facie tua. Parce mihi Domine & ignoſce peccatis meis propter nomen ſanctum tuum, ne permittas me perire propter peccata mea, quia creatura tua, ſeruus tuus, & filius tuus ſum, tuo precioſiſſimo ſanguine lotus & redemptus ſum. Tu a mundi exordio neminem peccatorem auerſatus es, aut contemptum reiecisti qui ex corde tuam gratiam & auxilium expetijt. Ad te igitur O pater benigniſſime in ſumma neceſſitate venio, ad pedes tuæ Maieſtatis me prouoluo, peccatorum meorum magnitudinem, pondus, varietatem, & multitudinem confiteor. Hæc fecerunt vt non ſim dignus qui filius tuus dicar, ſed te oro pater cœleſtis ac miſericors Deus, fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis in domo tua. Da Deus meus vt penitentiã agam in tempore gratię. Paſce me & foue me æterne ſaluator pane verbi tui, & cibo ſalutari me recrea, vt ſecundũ ſermones tuos ſancte ac ſincere viuam, & per miſericordiam tuam, atque pietatem paternam in gratiam recipi merear & reſtituar in dignitatem filiorum Dei, & æternæ hæreditatis portionẽ in aula tua

tua cœlesti nanciscar. Da Domine Iesu Christe mihi rectã, puram, simplicemq; in omnibus actionibus meis, & opinionem, & propositum, ne quid in omni hac vita quæram, cogitem, vel etiam cupiam præter id quod mihi salutare, diuinæ tuæ maiestati bene placitũ, & proximis meis sit fructiferum propter nomen sanctum tuum. Amen.

Oratio pro diuina gratia impetranda.

DEus æterne & misericors ad te venio peccator miser corde saucio, gemẽs & plorans ad te exclamo, vlcera & vulnera mea grauiter fœtent coram tua maiestate, plenus sum prauis cupiditatibus, nec est sanitas in carne mea, Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Aufer Domine Deus a me omnem iniquitatem, omnia facinora mala vt lumen tuum diuinum tenebras animæ meæ irradiet, concede cor meum in amore tuo accendi: fac mi Deus, vt desiderium huius mundi, cupiditas carnis quæ proprium commodum, & inanem gloriam affectant a me penitus

tus auferantur. Laua me Deus sancte aqua & fonte tuæ gratiæ, dele culpam meam, radicem euelle & fomitẽ in me peccatorum extingue. Munda me O Deus ab omnibus terrenis cupiditatibus, extolle cor meum ad te qui in cœlis habitas. Illumina pectus meum ad te vera & viua fide, tenebras animi discute, digitis tuis cordi meo inscribe Domine Deus, vt sit cor meum tabula viuentis Dei manibus consignata. Te oro æterne Saluator, da mihi talem gratiam, vt me ex toto corde conuertã ad te. Ingere mihi cor quod te supra omnia amet, de te perpetuo cogitet, de te assidue loquatur, tibiq; gratias agat, pro innumeris beneficijs tuis in me miserum peccatorem collatis. Da itaque bone Iesu mihi gratiam tuam, vt sic compungar, & pijs lachrimis peccata mea, defleam & plangam me in omni vita mea. Da Domine Deus gratiam compunctionis, & irriga animum meum, vt sim in conspectu tuo holocaustum pingue adipe & medullis compositum tibi in odorem suauitatis. Tribue pro bonitate tua Domine, vt preciosus ille calix tuæ passionis mihi sapiat, meq; inebriet vt memor paternæ tuæ passionis semper ad fletum permouear, & sic in

amore

amore tui mens mea accendatur, vt omnis mundanæ vanitatis obliuiscar. Exaudi me Domine Deus, audi lumen oculorum meorum, audi quæ peto, & da vt petam quod audias. O amantissime Domine Iesu qui me lauisti in sanguine tuo, & dedisti in mortem animam tuam pro me, per hanc charitatem & ineffabilem misericordiam tuam, infunde obsecro te cordi meo inextinguibile lumen gratiæ tuæ quo simul ardeat in me iuge incendium charitatis, ferueat, operetur & crescat in me indeficiens affectus miserationis, & pietatis, qui ad omnes creaturas tuas amore tui se effundat. Concede Domine Deus mihi rectam fidem, spem firmam, charitatem ignitam, vt a cunctis erroribus & peccatis liber intellectum meum, & omnem cogitatum meum in te Deus meus proijciam, totumq; me tuæ prouidentiæ credam. Te igitur oro Deus meus, vita mea, fortitudo mea, spes & salus mea vnica, dignare me laudare te: Tu largire & propitius concede pijssime pater, vt te digne glorificare possim, vtq; tibi mea laus placeat. Amator hominum Deus, da mihi lumen gratiæ tuæ in corde meo, verbum tuum in ore meo, vt cor meum semper meditetur

gloriam

gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Magno te amore laudare desidero, te exaltare cupio, tibi benedicere & gratias agere exopto, sed hoc quamuis totus tui amore ardeã, sine tua gratia præstare nequeo, effunde igitur pater cœlestis super me viscera misericordiæ tuæ, vt inueniat seruus tuus cor semper ad orandum te, tange os meum vt recedat iniquitas mea, inhabita cor meum Domine Deus vt peccata mea purgentur. Exaudi me Trinitas sancta & conserua me ab omni malo: aufer a me omnes iniquitates meas, vt ad te Deũ meum saluatorem & redemptorem meũ contrita & pura mente valeam venire qui viuis per æterna secula. Amen.

Oratio pia ad Iesum Christum pro peccatis.

O Clementissime Domine Iesu, O dulcissime Iesu, O Iesu fili intemeratæ virginis Mariç verum numen plenum misericordia & veritate miserere mei secundum tuam immensam misericordiam. Te oro æterne Saluator propter sanguinem tuum preciosum quem pro nobis peccatoribus

vere

vere miseris in ara crucis profudisti, aufer a me iniquitates meas, Dele peccata mea & munda me vt mundus sim in conspectu tuo Domine. O mitissime Iesu qui me creasti & conditum sanguine tuo redemisti, quem ex nihilo fecisti, & rursus perditum reparasti, ne sinas me in æternam damnationem rapi. Ne patiaris mi Iesu, vt mea peccata pessundent, quem tua misericordia dignum cœlesti gratia fecit. Respice & considera O Deus meus in me quod tuum est, tolle & remoue a me quod meum est. Miserere mei O Iesu Christe, & in tempore succurre, dum tempus miserendi est. O misericors Iesu miserere mei peccatoris. O dulcis Iesu libera me. O mitis Iesu sis mihi propitius quoniam magna misericordia tua super cœlos, & super terram veritas tua. O Iesu permitte & iuua me vt in cœtum & numerum Electorum tuorum perueniam. O Saluator omnium qui in te sperant & credunt, teque amant. O spes & refugium omnium qui tibi ex toto corde confidunt, miserere mei Iesu Christe qui es peccatorum meorum propitiatio. O nate virginis Mariæ Saluator & redemptor mundi, gratiam tuam mihi infunde spem synceram atq; viuam mihi largire.

Imperti

Imperti mihi Domine Deus ex fonte tuæ gratiæ, & dona charitatem, castitatem, & humilitatem inque rebus miseris & aduersis patientiam, fac benignissime Saluator vt te ex toto corde diligam & vere sine fuco & simulatione tantum in te gloriari, vt omnem voluptatem atque gaudium ex te mi Deus capere possem. O Domine Iesu suscipe me in misericordia tua, custodi me in virtute tua: Salua & protege me in gratia tua vt omnia aduersa, omnia tentamenta, ita sustineam propter te, & ita vincam per te, vt nulli peccato consentiam vsque ad mortem. Veni sanctissime spiritus, veni & miserere mei, reple cor meum, & tui amoris in me ignem accende. Emitte spiritum tuũ Domine, & renouabis me: O ignis qui semper luces? O amor qui semper ardes? O dulcis Christe, O bone Iesu resplende mihi, accende me, illumina & sanctifica vas tuum, de malicia euacua, imple de gratia & plenum conserua ad vitam æternam, apta & accommoda me tibi & esto propitius mihi, vt mea imbecillitas tuæ magnitudini secundum multitudinem miserationum tuarum complaceat propter nomen tuum Iesum. Imple me Domine Iesu suauitate & consolatione passio-

passionis tuæ infunde vulneribus meis cœlestem tuam medicinam, vt ex toto affectu omnes huius mundi illæcebras despiciam, aduersi pro te (mi Deus) nihil reformidem, sine te & præter te nihil mihi dulcescat nihil complaceat, vilescant mihi omnia propter te,& chara sint omnia tua, & tu Deus meus plus quam omnia, O adoranda vnitas, O veneranda Trinitas, per te sum creatus vera æternitas, per te sum redemptus summa charitas me protege, salua, & libera, te adoro,tibi cano, tibi laus, tibi gloria, per infinita secula, Amen.

Imploratio auxilij Domini contra carnis stimulum.

Cœlestis rex & dominator Deus, O clemens & benigne redemptor. Infirmus ego & imbecillitate oppressus ad te venio peccator miser, conscientia mea me quotidie accusat & singulis momentis experior nullam esse in carne mea sanitatem. Te offendo pijssime pater, omnes meæ cogitationes, verba, & opera in te & in cœlum ipsum grauiter peccant. Vita impia me adeo delectat, vt bonitatis & dilectionis tuæ omni-

omniumq; beneficiorũ quæ in me peccatorem miserum in morte ac passione tua contulisti, obliuiscar. Peccata mea O Domine Deus tot sunt ac tam grauia, quibus iram tuam commerui, vt nisi tu Saluator meus ope & auxilio tuo munijsses funditus interijssem. Sed Deus meus est misericors, & Christus saluator meus est mitis, Deus est spes mea, robur, solatium, & refugium meum, non despiciet me miserum peccatorem, nec opus manuum suarum proijciet. Ad te igitur clementissime pater accurro, & coram te cordis mei desiderium effundo. Confiteor in conspectu tuo O Deus imbecillitatem meam, imperfectionem agnosco, & multitudinem peccatorum meorum deploro. O clemens, O mitis, O cœlestis pater, peccaui in te, & non sum dignus vocari filius tuus. Sed ô summe Deus fac me sicut vnũ ex mercenarijs tuis, pasce me pater pijssime pane cœlestis tuæ gratiæ, vt sic confortatus tibi in tua domo cum puritate & iustitia per omnes vitæ meæ dies inseruire possim. O æterne Deus, aufer a me peruersum huius mundi amorem, & carnis concupiscentiam, ingere cordi meo ardentem gratiæ tuæ & beatitudinis cupiditatem.

Respice

Respice misericors Deus super pulicem vnum, & canem mortuum & repropitiare mihi, ostende Domine misericordiam tuam mihi, & da dexteram profugo seruo tuo, vt videant oculi pijssimi contritionem cordis mei. Non irascatur Dominus meus in perpetuum super malignitatem serui sui, sed vniuersæ multitudinis misericordiæ suæ a seculo recordetur, & sit hodie placabilis in seruum suũ. Exaudi Domine hanc vnicam petitionem, quam fundit coram te seruus tuus genua flectens ante omnipotentiam tuam, adorans super terram vultum gloriæ tuæ, quia stulte egi, & nimis insipienter, multotiens offendens mansuetudinem tuam, non veritus thronum regni tui. Dimitte Deus meus obsecro, omnem noxam seruo tuo, & ne deleas nomen meum de libro viuentium, sed in electorum tuorum numero me scribere digneris, vt inueniar in laudem & gloriam sancti nominis tui. Suscipe pater æterne propter nomen tuum vocem confitentis, attende vocem precantis, audi vocem peccatoris ad te clamantis: peccaui, Deus miserere mei peccaui, Deus propitiare mihi, parce malis meis, ignosce peccatis meis, indulge sceleribus

meis,

meis, dele culpas meas gratia tua Domine. Scis misericordissime Iesu quam nulla est virtus mea, & quam magna infirmitas mea. Ideo in te solo confido, & de viribus meis despero. Tu Domine Deus in petra me exaltasti, & in viam reuocasti me, quia factus es spes mea, & turris fortitudinis a facie inimici, habitabo in tabernaculo tuo in secula, & protegar in velamento alarum tuarum Deus quamdiu viuam. Quapropter O mitis Domine te ad me inclina, & ego me conuertam ad te. Tolle a me durum cor & saxeum, ingere Deus sancte mollius ac carneum quod facile ad nutum tuum flectatur, & propensum sit tua mandata sequi. O mitissime Deus non solum imploro tuam benignitatem vt in necessitate corporis & in angustijs meis consoletur, sed vt eadem tua misericordia mihi peccatis oppresso subueniat. Condona mihi mea peccata O Deus meus, gratiam tuam largire, & veniam delictis: Fac pater meus vt deinceps viuam in iustitia & sanctitate omnibus diebus vitæ meæ, purga me O cœlestis pater, & ablue me a peccatis meis in sanguine filij tui, illumina me in humilitate passionis suæ, exhilare me in sacrosancta

resur-

resurrectione sua vt humiliato corde, & contrito spiritu, ad solium tuæ maiestatis accedam, per Iesum filium tuum Dominũ & redemptorem nostrum. Amen.

Gemitus peccatoris pro misericordia diuina.

OMnipotens sẽpiterne Deus, creator omniũ, cœli & terræ moderator, qui in æternũ dominaris & solus potens omnia Deus, ad thronum tuæ maiestatis venio miser peccator, scelera mea agnosco, & meam imbecillitatẽ cõfiteor, tange & saucia cor meũ amoris tui iaculo, torpẽtes medullas animæ meæ flamma tua salutari succẽde Deus meus, intima mẽtis meæ sancto feruoris tui igne illustra, Imple me torrente voluptatis tuæ vt mũdũ, demonẽ, & carnẽ procul a me repellam. Aures & oculos cordis mei Domine aperias, vt audiã & intelligã sermones tuos, & pareã tuæ voluntati. Patefac oculos meos mitissime pater, vt te amẽ, te colã, teq; in æternũ laudẽ. Da sediũ tuarũ assistricẽ sapientiã, quæ intellectũ meũ illuminet, cor meũ purificet, affectũ meũ inflammet ad cognoscendũ & ad amandũ te Dominũ Deũ meũ in omnibus, & super omnia, præserua me pater pijssime a

curis huius vitæ, ne nimis implicer a multis necessitatibus corporis. Verte domine in amaritudinē mihi omnē carnalē consolationē me ab amore tuo abstrahētem, nō me vincat saluator Christe caro & sanguis, nō me decipiat mūdus & breuis gloria eius, non me supplantet diabolus cū astutia sua. Sed da Domine seruo tuo fortitudinē resistendi, patientiā tollerandi, cōstantiam perseuerandi propter nomen sanctum tuū. Noli quæso pijssime Iesu scribere aduersus me amaritudines meas, vt intres in iudiciū cum seruo tuo, sed secundū multitudinē miserationum tuarū, dele iniquitatem meam, concede Domine Iesu mihi veniā omnium peccatorū meorū per mortē & passionē tuam. Auge in me fidē acceptā, confirma spem meam, accende & illustriorem redde in me tui amorē, vt auxilio tuo tuæq; gratię præsentia gustem quā suauis ac dulcis es tu Deus meus: Et fac æterne saluator, vt ex operatione sanctissimæ tuæ volūtatis vitā æternā, quā diligentibus te promisisti impetrare queam, mitte manum tuam de alto, & libera me de manu inimicorum meorum, ne supergaudeant mihi, & insultent miserijs meis. Quis vnquam optime Iesu de tua misericordia diffidat? Qui cum inimici tui essemus, redemisti

nos in ſanguine tuo, & reconciliaſti nos Deo. Ecce Domine Deus ſub miſericordiæ tuæ vmbra protectus, ad thronum gloriæ tuæ veniam, poſtulans curro, nec clamare & pulſare deſinam, donec tu Domine miſeriaris mei. Te oro igitur mitiſſime Ieſu, ſis mihi propitius & miſericors in me peccatorem, cum ad iudicium venies, fac vt in fine vitæ meæ & extremo die, meritum tuæ precioſæ mortis mihi ſubueniat, meq; ſaluet vt in regno tuo te in omne æuum celebrare poſſim tibiq; gratias agam ſempiternas, Adſit mihi ſemper virtus ſpiritus tui ſãcti, quæ intellectum meum illuminet, cor expurget, animum excitet, vt diuinam voluntatem tuam perſpiciam, intelligam, & exſequar, ſuppleat paterna tua bonitas omnem inutilis tui ſerui negligentiam, iniuſtitiam, & defectum propter gloriam nominis tui. Amen.

Graciarum actio pro beneficijs Dei in hominem collatis.

O Domine Ieſu Chriſte fili Dei viuentis, æterne rex omnis miſericordiæ, pro tua ſancta paſſione & morte quibus te vnicum eſſe

esse mihi saluatorem, & clementissimum Dominum & redemptorem meum agnosco, gratias ago. Tu Iesu Christe patrem cœlestem meis delictis offensum mihi reconciliasti. Tu morte tua acerba vitam mihi æternam peperisti, & inimicos meos potentissime superasti. In hac tua victoria Domine Iesu ego me consolor, In hac spem meam & fiduciam omnem repono, & hic tuus triumphus mitissime Iesu mihi est in omni miseria, asylum. O benignissime rex Domine Iesu, amator & redemptor humilium & miserorum, qui peccatis grauantur, miserere mei, & me peccatorem propitius respice, misericordia tua me subleua, auxiliũ tuũ mihi mitte propter gratiam tuam, quam tu in passione mihi parasti. O æterne Deus & saluator meus, ne deseras me in tantis angustijs, In te spem omnem habeo, ne sinas me confundi, auxilium, robur, & spes mea, in iustitia tua libera me redemptor meus. Inclina aurem tuam ad me Domine, ad liberandum me accelera. Tu es bone Iesu salutis meæ inconcussa rupes. Tu es firmamentum meum, & domus refugij mei. Imple os meum laude tua Domine, & reple labia mea gaudio tuo, vt laudem

gloriam tuam, & toto die magnificentiam tuam. Dator omnium bonorum Deus, da mihi veram in corde meo contritionem & fontem lachrymarum inter laudes tuas, vt cum pectoris puritate, & mentis iubelatione te Deum meum perfecte diligã, vt toto corde meo sentiã & gustem quam suauis sis in regno tuo, beati sunt qui habitant in domo tua Domine, & cibo cœlesti apud te fruuntur, per omnia secula laudabunt te. O misericors & æterne Deus, tua benignitate trahe me ad regni tui solium vt ibi laudem nomen tuum in æternum. Conuerte igitur ad me Domine Iesu miserum peccatorem oculos diuinæ gratiæ tuæ, aperi mihi viscera benignitatis tuæ, ignosce peccatis meis, meq; in gratiam tuam recipe. Pande mihi Iesu saluator paternum pectus tuum, & infunde mihi nutrimentum gratiæ tuæ O Deus meus, cui soli omnis debetur honor, gloria, & gratiarum actio, en infælix ego, indignus ac perfidus peccator, hactenus tibi rebellis & ingratus, venio ad te creatorem meum, Deum & redemptorem meum, misericordem Iudicem & Saluatorem meum, accusans meipsum, & tibi confitens omnia scelera, & peccata mea.

O Do-

O Domine cœli & terræ miseriam meam confiteor, miser factus sum & ad nihilũ redactus sum, Sitio Domine, sitio te Deum viuum. Veni Domine Iesu veni lux mea, redemptor meus, & saluator meus, ostende faciem tuam super me & miserere mei, eructet mens mea verbum tuũ Domine. Tu es vita mea qua viuo, spes mea cui inhereo, gloria mea quã adipisci desidero, Tene cor meum Deus meus, mentem rege, amorem erige. Quam dulcis est memoria tui Domine, ad te venire cupio, te videre desidero. Patet Domine Iesu magnum tuæ pietatis sacramentum: Patent viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto. Vulnera tua Domine Iesu plena sunt misericordia & veritate, plena pietate & miseratione, plena dulcedine & charitate, quam suauis & mitis es tu Domine Iesu, quam multæ misericordiæ te inuocantibus in veritate. O Deus pater quo vsq; auertis faciem tuam a me, quando respicies & exaudies me, quando illuminabis oculos meos & ostendes faciem tuã mihi O Deus meus ego sum Abyssus tenebrosa, terra misera, filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, viuens in miseria, moriturus

in angustia. Heu miser quid sum? Pauper, nudus, vas sterquilinij concha putredinis. Fac me Domine Deus per gratiam & spiritum tuum coram te omni hora hostiam viuam fieri, fac me habere te præ oculis meis Dominum Deum meum. Da Domine vt de te semper loquar, de te cogitem, de te somniem, te amem, te timeam omnibus diebus vitæ meæ. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam Domine, succende mentem meam ardore sancti tui spiritus, Pelle a me omné seculi illuuiem, & da mihi in te spem firmam, mentem integram, innocentiam puram, repauset in te cor meum, & requiescat in te Deus meus anima mea per omne æuum, Amen.

FINIS.

Ecclesiast. 10.

Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur ad reficiendum & non ad luxuriam.

Sapientia. 6.

Si delectamini sedibus & sceptris ô reges populi, diligite sapientiam vt in perpetuum regnetis.

Rex sapiens populi stabilimentum est.

Prou. 16.

Indignatio regis nuncius mortis, & vir sapiens placabit eum.

Voluntas regum labia iusta, & iustitia regis firmatur solium eius.

Prou. 20.

Dissipat impios rex sapiens & incuruat super eos fornicem.

Misericordia & veritas custodiunt regẽ, & roboratur clementia thronus eius.

Ecclesiast. 6.

Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias.

Mundo & immundo omnia in futurũ seruantur incerta.

Ecclesiast. 9.

Verba sapientis audiuntur in silentio, plus quã clamor principis inter stultos.



Viue diu, sed viue Deo, Regina.

O

Oratio I
sperse c
Oratio S
Oratio 1.
Oratio 2.
Oratio 3.
Oratio 4.
Oratio M
ad Do
Oratio I
ficijs a
Oratio S
recte g
Oratio E
Oratio r
sios.
Oratio r
inimico
Oratio r
in Ba
Oratio
petit.
Oratio

Index huius operis.

INDEX.

Oratio

INDEX.

Sermo

INDEX.

FINIS.